


MONUMENTA
MATTHAEIANA

MONUMENTA
MATTHAEIANA



Vinc. Brenna del. Joan. Cassini sculp.

INDEX TABULARUM

Quae in hoc II. Protomarum, Hermarum, & Anaglyphorum Volumine continentur.

CLASSIS I.
Quae continet
DEORUM IMAGINES.

CLASSIS II.
Quae continet
HEROES ET VIROS ILLUSTRES.

CLASSIS III.
Quae continet
IMPERATORES ET AUGUSTAS.

CLASSIS IV.
Quae continet
IMPERATORES GERMANICOS.

CLAS-

CLASSIS V.
Quae continet
CAPITA INCOGNITA.

CLASSIS VI.
Quae continet
HERMAS SEU TERMINOS.

CLASSIS VII.
Quae continet
IMAGINES QUADRATIS ET ROTUNDIS FIGURIS INCLUSAS.

CLASSIS VIII.
Quae continet
ANAGLYPHA CUM VARIIS HOMINUM ET MULIERUM IMAGINIBUS.

CLASSIS IX.
Quae continet
FIGURAS ANAGLYPTICAS SINGULARES.

CLASSIS X.
Quae continet
SIGNA ANIMALIUM.

CLASSIS XI.
Quae continet
TROPHAEA PULVINARIA CAPITULA BASES TRUNCOS ET CANDELABRA.

CLASSIS XII.
Quae continet
LARVAS SCENICAS ET CETERA MONUMENTA MISCELLA.

ERRATA	CORRIGE.
pag. 18. quem.	quam.
pag. ead. tenere.	temere.
pag. 19. ferre.	fere.
pag. 23. ad Svetonius.	ad Svetonium.
pag. 39. porimentum.	operimentum.
pag. 48. κελαιδή	κελαινή.

IM-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

F. A. Epiſcopus Montis Alti, ac Viceſgerens.



IMPRIMATUR,

Fr. Thomas Auguſtinus Ricchinius Ordinis Praedicatorum Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.



PROTOMARUM
CLASSIS I.
QUAE CONTINET
DEORUM IMAGINES.



TAB. I.
FIG. I.
IUPPITER PLUVIUS.



AB Iove principium Musae, ut ait Virgilius (1), ac proinde quemadmodum primum Statuarum Volumen a Iove Fulguratore inchoavimus, ita & alterum hoc, Protomas potissimum comprehendens, ab Iove Pluvio auspicamur. Scilicet in hac Protome, quae foramine ad aquam ex ore emittendam instructa est, quaeque ad fontis ornatum inserviisse constat, Iovem Pluvium agnoscimus, eo quod ipse capillis longis, passis, ac madidis instructus sit, ac similis fere sit omnino Toreumati, quod exstat in Columna cochlide M. Aurelii Antonini, quodque eruditi ad Io-

(1) *Eclog. III. v. 60.*

Iovem Pluvium commode referunt (1). Cum enim in ea Columna praecipua Antonini facinora in bello Germanico adversus Marcomannos exprimantur, atque inter haec etiam occurrat praeclara illa imbris gratia divinitus impertita, qua languens Romanorum exercitus in summa ſiccitate recreatus, ac ſimul fulminum ope confectus barbarorum exercitus per Romanum militem fuit, Marcus Imperator Iovi, quem colebant Ethnici, ipſam acceptam retulit, non autem ſoli, ac vero Deo Chriſtianorum, a quo nimirum Legio illa eorumdem Chriſtianorum ex Armenia evocata, quae ideo κεραυνοβόλος a Graecis, & *Fulminatrix* a Latinis dicta eſt, piis precibus impetraverat. Vide de hac re fuſe diſſerentem celeberrimum Annalium Eccleſiaſticorum parentem Baronium (2), Franciſcum Balduinium in *Commentario ad Edicta veterum Principum Romanorum de Chriſtianis* (3), Cellarium in *Diſſertatione de Legione Fulminatrice*, alioſque. Hinc olim nimiae ſiccitatis tempore *Aquaelicium*, ab aquis eliciendis dictum, indicebatur; quandoquidem eſt *Aquaelicium*, Feſto teſte, *cum aqua pluvialis remediis quibuſdam elicitur*; atque Iovi Pluvio huiuſmodi ſupplicationes, quae & *Aquilicia* dicebantur, fiebant, tum & proceſſus nudis pedibus peragebantur. Hinc Tertullianus (4): *Aquilicia Iovi immolatis, Nudipedalia populo denunciatis*. Petronius (5), quinetiam ait feminas ſtolatas *nudis pedibus* iviſſe *in Clivum, & Iovem aquam* exoraſſe. An vero hic Clivus Petronianus Romae fuerit, an Neapoli, videat Cl. Ignarra (6). Ceterum Gentiles olim falſo Numini tribuere nebulas, pluvias, procellas, aliaque ſolebant, ut apud ſacros Scriptores ipſi vero Deo tribuebantur. Hinc Ioſephus (7) in hiſtoria diluvii ait de Deo, ὕειν ἀρξαμένου *pluere incipiente*; quemadmodum ibidem (8), ubi inducit Deum promittentem, non ultra ſe diluvium immiſſurum, ait: εἰ δ' ἐπὶ πλέον ποτὲ χειμάσαιμι, *quod ſi quando plus ſolito procelloſus fuero*. Vide τὸν πάνυ Alexium Symmachum Mazochium in *Spicilegio Biblico* (9). Quare Iuppiter Pluvius a Graecis quinetiam cultus (ut & infra patebit), ac dictus eſt ὄμβριος, & ὑέτιος Ζεὺς (10), quemadmodum & apud Indos innotuerat, teſte Strabone (11). Nec defuit etiam apud Gentiles Iuppiter

(1) *Vid. Bellor. de Columm. Antonin.*

(2) *Ad ann. Chr.* 176. *To. II.* §. *XXIV. pag.* 292. *edit. Lucenſ.*

(3) *Lipſiae, & Halae apud Erneſt. Gottl. Crugium* 1727. *pag.* 92.

(4) *Apologet. cap.* 40.

(5) *In Satyric. cap.* 44.

(6) *De Palaeſtra Neapolitana Commentar. Part. II. Cap. V. pag.* 189.

(7) *Antiq. Iudaic. Lib. I. cap. III. n.* 5.

(8) *Num.* 8.

(9) *To. II. pag.* 296.

(10) *Vid. Lil. Gyrald. Hiſtor. Deor. Syntag.* 2.

(11) *Geogr. Lib. XV.*

ter Serenus, qui Pluvio opponitur; quod ſane laudatus Mazochius adſtruit ex Inſcriptione, quam refert Sponius (1), & IOVI . SERENO dicatam exiſtimat, quaeque fortaſſis illa ipſa eſt, ex qua nomen hoc derivavit FleetWodius (2). Ceterum tres aliae potius ex Gruterio (3) citari poterant, in quibus diſtincte omnino, non per dubias ſiglas, ut apud Sponium, hoc Iovis epitheton legitur. Nulla vero in Lapidibus Iovis Pluvii mentio, aſt in Nummis, teſte Triſtanio (4), & Haymio (5), cernitur Iovis Pluvii fulminans figura, cui apud Triſtanium in Nummo Titi ſeptem ſtellae, Pleiades nempe circumſtant, & in Athenienſium Nummis apud Haymium Pleiadi Luna, quae pluvias etiam efficeret, & ſpicae, quae abundantiam ex pluvis profectam denotant, ſuffectae ſunt. Siquidem Athenienſes, pluvias ad fecundandos agros petere ſoliti, Iovi Pluvio Aram, Pauſania teſte, in Monte Hymetto dedicaverant. Verumtamen ea forma, qua Iuppiter Pluvius in Protome noſtra donatur, exprimebatur etiam & Oceanus, qualis nimirum cernitur in Protome, quae ex munificentia CLEMENTIS XIV. P. O. M. in Muſeum Vaticanum a ſe nuper excitatum inlata eſt.

TAB. EADEM.

FIG. II.

IUPPITER SERAPIS.

NOn alio nomine, quam quo donatur vulgo ab Antiquariis, hanc Protomen inſcriptam profero, Iovis nempe Serapidis, quamquam & alii Iovis Hammonis cenſuerint. Eſt ex lapide Aegyptio nigro, qui Baſaltes dicitur, tum ſupra Iovis caput modius cernitur, ex quo Aegyptiorum Deus manifeſtius ſe prodit, & quo providentia innuitur, quae nihil niſi cum menſura operatur, & quae homines ſimul, & animalia nutrit. Apud Gruterium duae Latinae Inſcriptiones occurrunt, quarum una (6) I. O. M. SARAPIDI., altera (7) IOVI . SOLI . INVICTO . SARAPIDI . inſcripta eſt, ac duae inſuper Graecae (8), quae pariter ΔΙΙ . ΗΛΙΩ . ΜΕΓΑΛΩ . CΑΡΑΠΙΔΙ . dedican-

(1) *Miſcell. Erud. Antiq. Sect. III. n. XII. pag.* 75.
(2) *Inſcr. antiq. Sylloge Part. I. pag.* 9. *n.* 5.
(3) *Pag.* 23. *n.* 1., *pag.* 77. *n.* 6., & *pag.* 1009. *n.* 9.
(4) *Lib. II. pag.* 250.
(5) *Theſauri Britannici To. I. Vindobonae* 1763. *Tab. XVI. pag.* 180., & 181.
(6) *Pag.* 22. *n.* 7.
(7) *Pag. ead. n.* 9.
(8) *Ibid. n.* 10., & 11.

cantur. Cl. Ioh. Winckelmannius ὁ μακαρίτης, qui omnem Antiquitatem immiſcuit, dum nova nomina cudit, ut vetera eliminet, in ea eſt opinione, ut cenſeat [1], heic non Iovem Serapidem, ſed potius Plutonem praeſeferri. Ait enim effingi Iovem conſueviſſe placido vultu, non autem ſevero, ut in hac Protome, quae proinde a recentiore quodam Anglo [2] *Iuppiter terribilis* dicta fuerit. Plutonem vero ipſum eſſe putat, qui hoc minaci vultu exprimi potuerit, quod a Seneca [3] dicatur habere vultum *Iovis fulminantis*. Quare ad Plutonem amandat alterum ſimile Caput, quod eſt Romae in Aedibus Inſtinianiis, quemadmodum & Plutonem cum modio in capite haberi cenſet in Anaglypho in Aedibus Epiſcopalibus Oſtiae, tum & in Gemma [4], ut alia, quae ibidem ipſe adducit, nos nunc praetereamus. Aſt non tanti haec ſunt, quae Iovem e poſſeſſione exturbare poſſint, in quam dein Pluto immittatur. Non enim ſemper Milichius, & Hiceſius Iuppiter in Monumentis exprimitur, ut ad Statuarum Tabulam I. adnotavimus, ſed iratus etiam quandoque occurrit. Ceterum non ambigo, Plutoni quinetiam hanc Protomen tribui poſſe, quandoquidem Serapidem, ut ait Tacitus [5], plurimi Ditem Patrem cenſuerunt; atque eumdem cum Plutone exiſtimavit quinetiam Euſebius Pamphilus [6]. Inſuper pro Sole etiam habitus, ut teſtatur Martianus Capella [7], & ut ex allatis ſuperius Inſcriptionibus eruitur. Quare ſtet modo Iuppiter, ut olim, ne quiſque ex lubitu Numen alterum, pro quo ipſe pugnet, nobis audacter ingerat. Ceterum haec Protome, atque altera quinetiam, quae anno CIↃIↃCCLXXI. in Agro Romano ad locum, qui dicitur *le Fratocchie*, eruta eſt, quaeque Iovem modio, & foraminibus circa caput, radiorum indicibus, inſtructum exhibet, exſtat nunc in Muſeo Clementino Vaticano ex optimi Principis providentia, qua nos nunc regimur.

(1) *Monumenti antichi inediti Vol. I. Trattat. prelimin. Cap. IV. pag. XLII.*
(2) *Spence' S Polymetis.*
(3) *Hercul. Fur. v.* 724.
(4) *Natter. Pier gr. pl.* 33.
(5) *Hiſtor. Lib. IV.*
(6) *Praepar. Evang. Lib. IV. cap.* 23.
(7) *Lib. II. pag.* 54.

TAB.

TAB. II.

FIG. I.

A P O L L O.

SI Apollinis ornatus, qui ad Tab. IV. Tomi I. (1) cernitur, cum hac Protome conferatur, heic etiam expressum eumdem Deum quisque fatebitur. Iuvenilis vultus, & crines passi, concinnoque cultu discriminati, feminarum more, eum scilicet nobis exerunt, quem Tibullus commode innuit, dum inquit (2):

. . . . . . aeterna est Phoebo, Bacchoque iuventa,
Et decet intonsus crinis utrumque Deum.

Muliebris ornatus Venutium fefellerat, qui Cleopatram inscripserat, ast quae tamen mammis carens nobiliorem sexum portendebat.

TAB. EADEM.

FIG. II.

B A C C H U S.

QUum προτομαὶ, ut habet Hesichius (3), sint Statuae, vel humanae imagines ex marmore, aut ex aere a capite usque ad umbilicum, haud heic quidem haec Bacchi imago, seu truncus, qui ad pubem usque protenditur, recte nunc statui posse videbatur; Ast cum ipsa careat brachiis, & dimidia parte corporis, inter Protomas potius, quam inter Signa, eidem ipse locum facere constitui, quem idcirco concinniorem, aptioremque quisque etiam fatebitur. Crines soluti, & nebris, qua obtegitur a sinistro humero ad dextrum latus, Bacchum aperte indicant.

(1) *Pag.* 4. (2) *Lib. I. Eleg.* 4. *v.* 33. (3) *Lexic. Graec. hac voc.*

TAB.

Tab. III.
BACCHUS.

Legantissima haec Protome Bacchum exhibet iuvenili facie decorum, quemadmodum & in Signo, quod in Tomo I. (1) adduximus, cernere licet. Caput intonsum habet, & pampinis, uvisque redimitum. Nebridem vero ante pectus gerit, quae ad dexterum humerum fibula alligatur, Haec omnia mire Baccho conveniunt, ut cuique innotuit.

Tab. IV.
FIG. I.
IUNO.

N hac Protome conspicienda venit Deorum Regina,

. . . . *Iovisque*

& soror, & coniux . . . . . . (2)

Iuno videlicet, quae maiestate, & venustate oris, ac mitellae, & velamenti ornamento, tum reliquo vestis cultu πότνια *veneranda*, ut passim ab Homero salutatur, apparet.

Tab. EADEM.
FIG. II.
IUNO.

Rnatur mitella, quae & Dearum capitis redimiculum fuit, haec ipsa Iunonis Protome, & amicitur tunica ad dexterum humerum orbiculo, alioque eleganti vinculo constricta. Vultus maiestas Iunonem haud quidem dedecet; nec ullam certe ex Augustis praesefert.

(1) *Tab. XII. pag.* 10. (2) *Virgil. Aeneid. I.*

TAB.

TAB. V.

FIG. I.

I U N O.

CAput hoc cingitur mitella ornatiſſima, forte ex iis, quae coronas ſericeas referebant, quaeque nimirum ex nardi folio, & veſte ſerica verſicolori, unguentis illitae conſtabant [1]. Oris dignitas, quam heic habes, decet quidem

Ἀθανάτην βασίλειαν, ὑπείροχον εἶδος ἔχουσαν,
Ζηνὸς ἐριγδούποιο κασιγνήτην, ἄλοχόν τε.

Immortalem reginam, excellentem formam habentem,
Iovis tonantis ſororem, coniugemque [2].

TAB. EADEM.

FIG. II.

M I N E R V A.

ELegantem galeam, πτερίνῳ στεφάνῳ, *corolla* nimirum *plumea*, ſive ut Lipſio apud Polybium [3] vertere libet, *apice plumeo* ornatiſſimam geſtat Minerva, quae ut ſcientiarum, ſic & belli praeſes habita eſt. Pectus aenea lorica tegitur, quae aegis dicitur, in qua cernere eſt Meduſae caput anguibus horribile. Hinc apud Heſiodum [4] dicitur Minerva Θεὰ γλαυκῶπις Ἀθήνη αἰγίδ᾽ ἀνασσείσασα, *Dea caeſiis oculis Minerva, aegide concuſſa.*

TAB. VI.

FIG. I.

MINERVA CUM CAPITE BACCHANTIS.

HEic vides intollerabilem mangonis licentiam, qui caput Bacchantis Minervae pectori temere aptavit. Capilli enim incompti, & vitta ligati Bacchantibus conveniunt, & Meduſae caput ante pectus iam Minervae proprium ſuperius innuimus. Monſtrum

(1) *Pitiſc. Lexic. Antiq. Romanar. voc.* Mitellita.
(2) *Homer. Hymn. in Iunonem ver. 2.*
(3) *De Militia Romana Lib. III. Dialog. V. pag.* 123.
(4) *Scut. Hercul. v.* 344.

ſtrum hoc alteri propemodum ſimile, quod nuper a quodam Statuarum Sarcinatore prodiiſſe, immo & aere caelatum fuiſſe novimus, qui nimirum duo antiqua marmorea Signa ad pubem ſecuit, tum Promethei inſtar a Libero invitati ad coenam, & vino madidi (1)

Adplicuit virginale generi maſculo,
Et maſculina membra adplicuit feminis,

ſuperiorem partem, quae ad feminam pertinebat, & ornabatur mammis exſtantibus, alteri inferiori, quae viri erat, quaeque maſculo inguine diſtinguebatur, aptavit, dein glutine, & gypſo rimis affabre oblinitis, Hermaphroditum e terra recens erutum, & quantivis pretii opus praedicabat. Hac nova, & mira ſane ſtatuaria arte praeter Titanas, Centauros, Minotauros, quos finxit antiquitas, alia interim ſperemus invecta & hominum, & ferarum portenta, quae nos huc uſque latuerunt, & quibus natura ipſa obſtupeſcat.

TAB. EADEM.
FIG. II.
S I L E N U S.

SEnex hic crinibus, barbaque prolixa, leonis, vel pantherae pellem ſuper humeros habens, nodo ante pectus adſtrictam, Silenus facile cenſeri poteſt; Sileni ſiquidem in ſcenam produci ſolebant, demiſſa barba, pellibuſque induti (2). Quatuor Sileni Signa marmorea adhuc exſtant, barba promiſſa, & calamiſtrata, altitudine, & nervorum robore inſignia, olim in Portu Anſiatino reperta, dein apud ampliſſimum S. R. E. Card. Alexandrum Albanium, quae ſcenicos Silenos forte praeſeferunt. Silenum etiam repraeſentari plures cenſuerunt Signo illo ſane nobili, quod in Aedibus Card. Antonii Gentilis effoſſum fuit anno CIↃIↃCCXXXIX., atque dein a Franciſco Ficoronio editum, & illuſtratum eſt (3). Is etiam prolixa barba cernitur, capilliſque hedera corymbifera cinctis, ut proinde & ipſe comicam perſonam, villoſa ſuperimpoſita pelle, repraeſentare facile poſſit: Quemadmodum non aliter quoque cenſendum venit de altero Sileni Signo, quod in Muſeo Tarviſanio Venetiis adſervatur, tum & de altero, quod Romae eſt in Aedibus

(1) *Phaedr. Lib. IV. Fab. XIII.*
(2) *Polluc. Onomaſtic. Lib. IV. Segmen.* 118.
(3) *Breve Deſcrizione di tre particolari Statue ſcoperteſi in Roma l'anno* 1739. *To. XXII. della prima Raccolta Calogeriana a' Opuſcoli ſcentifici, e filologici num. XVI. pag.* 491.

dibus Veroſpiorum. Aſt haec, quam deſcribimus, Protome ſervatur nunc in Muſeo Clementino Vaticano, quod tandem inſigni porticu, adytiſque ornatiſſimum publico litterarum, & bonarum artium incremento perfectum eſſe, ac patefactum Principi providentiſſimo gratulamur.

CLASSIS II.

QUAE CONTINET

HEROES ET VIROS ILLVSTRES.



TAB. VII.

ALEXANDER MAGNUS REX MACEDONVM.

AB Alexandro Magno initium ducimus, cuius coloſſalem Protomen exhibemus, quam ex Aventini ruinis effoſſam acquiſivit Cyriacus Matthaeius Hortorum Caelimontanorum conditor, ibique diligenter reparatam ad Antiquariorum oblectamentum, & ad bonarum artium exemplar collocavit. Huius rei monumentum damus in Praeliminaribus ad Tom. I. Praetereo elegantem ornatum, quo ingens hoc caput continetur, de capite tantum aliqua delibare contentus. Frons crinibus elevatis conſperſa notanda primum venit, ut Iovis formam, ex quo ſe prognatum praedicabat, aemularetur. Tum advertendus oculorum obtutus deſuper elevatus, qui nempe & a Lyſippo expreſſus fuiſſet ἐς Δία λεύσσων, *ad Iovem reſpiciens* (1). Id tantum deeſt, quod forte non aeque ab omnibus ſervatum eſt, capitis nempe ad ſiniſtrum humerum inclinatio, quam Plutarchus marmoreis Alexandri M. imaginibus perpetuo tributam ſcribit; ſiquidem heic totum contra expreſſum cernitur. Caret vero barba, & lanugine, quod ipſius Alexandri M. iconum proprium. Altera eiuſdem Protome habet Muſeum Capitolinum a Cl. Winckelmannio edita (2), quae Mediceae Florentinae, etſi magnitudine maiori, haud cedit, & noſtrae quo ad viſus lineamenta ſimillima eſt. Protomen alteram habes apud Montfauconium (3), quam ait exſtare in Muſeo Mareſcalli Etreeſii, & quam Herculi Farne-

(1) *Antholog. Lib. IV. cap. 8. pag. 312. lin. 11.*

(2) *Monumenti antichi inediti To. I. n. 175., & To. II. cap. X. pag. 230.*

(3) *Antiq. Explic. To. IV. Supplem. Lib. I. cap. I. num. 11. Tab. I. pag. 1.*

nesiano, Meleagro Pighiniano, Apollini, & Laocoonti Vaticano, ac Veneri Mediceae non inferiorem censet. Caput nempe illi est porphyreticum antiquum, omnibus artis supremae notis insigne; tum vivida illa, audax, spiritusque plena vultus imago, quae statim spectatorem quemque in admirationem rapit; pectus vero, & brachia cum omnibus aliis ornamentis a Girardonio Sculptore celeberrimo Parisiensi, cuius antea fuerat haec Protome, addita sunt. Tandem in Arce Meldulensi in Aemilia, quam tenuerunt Pii Carpenses, inter alia antiqua monumenta caput cernitur Alexandri M. nomine insignitum, quod tamen & vultu, & facie rugosa, capite ipso comato, barba promissa ab Regis imagine prorsus abhorret, quem *viridi sub flore iuventae* abreptum scimus, ut ex Epistola Cl. Hieronymi Ferrii nunc in Academia Ferrariensi Rhetoris intelligimus [1]. Haec artis criteria etiam inferius urgebimus, ut alia etiam monumenta ab Alexandro M. abiudicemus. Non solis Protomis expressa fuit Alexandri imago, quae & Statuis commendata etiam fuerit. Unica tamen est, quae superfit, & cui ingenuitatis characteres suffragentur. Hanc habes in Aedibus Rondininiis Romae, cui caput superadstat nullo umquam casu, quod rarum oppido est, disruptum, & divulsum [2]. Apud Paullum Alexandrum Maffeium [3] cernere etiam est Alexandri Statuam alteram, quam ipse in domo Caroli Cariolii tunc exstare scripsit. Supervacaneum in praesens sit referre, falso adcenseri Alexandro M. Statuam illam in Quirinali positam, qua tamquam Bucephalum frenans expressus dicitur, quamque Phidiae, qui ante Alexandrum obiit, opere elaboratam venditant nugatores, qui insuper Praxiteli sociam alteram temere tribuunt, licet & a Maffeio ipso [4], & a Montfauconio [5] aere caelata adducta prior fuerit. A marmoreis monumentis, quibus imago Alexandri nonnisi a Lysippo insculpi poterat, gradum faciamus ad Gemmas, quibus pariter eiusdem imaginis exprimendae privilegio unus Pyrgoteles gaudebat. Primas ducat Alexander M., & eius mater Olympias insculpti antiqua Achate, quam olim servabat Museum Christinae Svecorum Reginae, quamque refert Michael Angelus Causeius [6], Carolus Patinius [7], aliique. Alexander M. λεοντοφόνος habetur in Sarda apud Laur.

(1) *Novelle Letterar. di Firenze* 1769. *n.* 47. *col.* 746.
(2) *Vid. Winckelmann. Monum. antichi inediti To. II. Part. III. cap. X. pag.* 230.
(3) *Raccolta di Statue Tav. CXLVI. col.* 138.
(4) *Ivi Tav. XIII. col.* 13.
(5) *Loc. cit. Supplem. To. IV. Lib. II. cap. I. num.* 1. *Tab. XI. pag.* 17., & *seqq.*
(6) *Mus. Roman. To. I. Tab. XVIII.*
(7) *Ad Sveton. in August. cap.* 50.

Laur. Begerium (1). Gemmam, quae Alexandrum M. arietinis cornibus ornatum exhibet, adfert Ioh. Angelus Caninius (2); quandoquidem ipſe Iovis Hammonis, cornuti ſcilicet Dei, ſe ſemine ſatum venditaret (3), unde & apud Syro-Macedones Δικέρωτος, & chaldaice eodem ſenſu דלקרנים *Dilkarnaim* audiebat. Aliae Alexandri M. effigies exſtant in duabus Gemmis apud Leonardum Auguſtinium (4). Tandem Pyrgotelis Gemma cum Alexandri M. effigie edita eſt a Barone Philippo Stoſchio (7), quae tamen dubia admodum eſt, & forſan aperte falſa; nam Alexander caret barba, & lanugine a temporibus ad genas uſque, quibus tamen inſtructus cernitur in hac Gemma: tum ibi cernitur cum capillis brevibus, & criſpis in fronte, cum tamen fuerint in fronte elevati, ut in capite eiuſdem, quod habet Muſeum Capitolinum, & de quo ſuperius, tum & in noſtro (6). Forte Pyrgotelis ſculptura aliqua in Auguſti manus venire potuit, qui nimirum, teſte Svetonio (7), *in diplomatibus, libelliſque, & epiſtolis ſignandis initio ſphinge uſus eſt, mox imagine Magni Alexandri*. Quoniam vero Apellis opera, cuius pennicillo dumtaxat pingi Alexandri vultus licebat, nunc deſiderantur, poſt Statuas, ac Gemmas ad Numiſmata venire praeſtat. Antonius Auguſtinius (8), Nicolaus Franciſcus Haymius (9), tum ſupra laudati Begerius (10), Caninius (11), & Patinius (12) plura referunt Numiſmata ex auro, argento, & aere, quibus Magni Alexandri effigies conſignata cernitur, *cum pectoroſa* etiam in nonnullis *cervicis repandae oſtentatione*, ut loquitur Plinius. Alia Nummiſmata ad eum ſpectantia, quae innuunt Samuel Küpferius (13), Ioh. Fridericus Schoepperlinius (14), & Michael Timotheus Pfeifferius (15), cum typi adducti non fuerint, minime moramur.

(1) *Theſaur. Brandeburg. To. I. pag.* 13.
(2) *Iconografia, Tav. XV. pag.* 38.
(3) *Vid. Arrianum de expedition. Alex. M. Lib. III., & A. Gellium Noct. Attic. Lib. XIV. cap.* 4.
(4) *Gemm., & ſculpt. antiq. Part. I. Tab.* 33., 34. *pag.* 12.
(5) *Pier. grav. Pl.* 55., 56.
(6) *Vid. Winckelmann. Monum. antichi inediti To. I. Tratt. prelimin. cap. IV. Sez. II. pag. LXXVII.*
(7) *In Aug. cap.* 50.
(8) *Dialog. V.*
(9) *Theſaur. Britann. Pars alter. Tab. I. n.* 11. *pag.* 13. *edit. Vidobon.* 1765.
(10) *Theſ. Brand. To. I. pag.* 239., 241., & 242.
(11) *Iconografia, Tav. XII., XIII., e XIV. pag.* 29. *e ſegg.*
(12) *Ad Sveton. in Aug. cap.* 50.
(13) *Collectio Numiſmat. &c. Bernae Helvet.* 1750. *pag.* 13., & 15.
(14) *Nummi rariores, aut attriti e Tabulis Cronagelianis &c. Onoldini* 1757. *n. I., & XXVI.*
(15) *Catalogus Numiſmatum antiquorum &c. Ratisbonae* 1773. *num.* 5., 6., 7., & 8. *pag.* 2., *et* 3.

TAB. VIII.

FIG. I.

ACHILLES.

Elegans forma, quam heic vultus Herois exprimit, galea, qua caput obtegitur, capilli oblongi, quibus ornatur, & thorax, quo amicitur, Achillem nobis forte exhibent. Quod eius forma elegans, & inter utrumque ſexum dubia eſſet, conſtat ex eo, quod Ulyſſes πολύμητις *verſutus* ipſum inter Licomedis Regis filias latentem adlatis coram illis clypeo, galea, & haſta, quibus inuitarentur ad bellum, facile detexerit. Galea bellatorem innuit, & marini equi, quibus eadem ornatur, filium Thetidis decent. Quod longa coma uſus fuerit, illud prodit, quod ab Homero [1] inducatur Pallas ipſum ξανθῆς κόμης *flava coma* prehendens, eamque quinetiam ipſe Homerus alibi [2] τηλεθόωσαν *floreſcentem* appellet. Poſtremo & thorax δαΐφρονος *bellicoſi* viri proprius eſt, in quo ſculpta cernitur Diana Epheſia, & duo utrimque adſtantes gryphi. Thetis non κατ' Οὐλύμπου νιφόεντος *ab Olympo nivoſo*, ut ait Homerus [3], ſed ex mare vecta marino equo, τεύχεα μαρμαίροντα παρ' Ἡφαίστοιο φέρουσα, *arma coruſcantia a Vulcano ferens* ad natum, immo pro armis thoracem, cernitur in Pictura Vaſis fictilis Vaticani, quam exhibet Cl. Winckelmannius [4] cum aliis etiam armati Achillis monumentis. Ioh. Ang. Caninius [5] ex aereo Numiſmate *criſtatum*, ut vocat Virgilius [6], vel caſſide gravi ornatum exhibet Achillem, inſcripto parte antica in orbem nomine ΑΧΙΛΛΕΥϹ, poſtica vero expreſſo equo, & addito lemmate ΝΙΚΟΜΑΧΟΥ. Ibidem a Caninio plura Achillis Signa vetuſtiſſima ex Pauſania, Strabone, ac Plinio enumerantur. Graeca Achillis epigraphes nobis in mentem revocat Etruſcam pateram apud Winckelmannium [7], quae Achillis, & Hectoris fatum in lance expenſum exhibet, & in qua Achillis imagunculae ſupraſcribitur ƎꓕꓕA *Achle*. Gemma quinetiam apud Gorium [8], & apud Cayluſium [9] adducitur, in qua cum vitiata

(1) *Iliad. α' v. 197.*
(2) *Iliad. ψ. v. 142.*
(3) *Iliad. σ. v. 615.*
(4) *Monumenti antichi inediti To. I. num. 131., e To. II. Part. II. cap. XII. pag. 171.*
(5) *Iconografia, Tav. XXIV. pag. 49.*
(6) *Aeneid. Lib. I.*
(7) *Loc. cit. To. I. num. 133.; et To. II. Part. II. Cap. XII. pag. 171.*
(8) *Muſ. Etruſc. To. I. Tab. CXIX. n. II.*
(9) *Reculeil d'Antiquites Egyptiennes, Etruſques, Grecques, et Romaines. A Paris 1752. To. I. Pla. XXX. n. 1. pag. 91.*

tiata aliquantulum Etrusca epigraphe cernitur Achilles armatus. Tum Achilles cytharam pulsans habetur etiam in altera Gemma, quae Graeci forte Artificis ΑΛΜΗΛΟΥ opus, quamque idem Caylusius ex Museo regio Parisiensi exceperat (1).

TAB. EADEM.

FIG. II.

L. CORNELIUS SILLA DICTATOR.

Otior est, quam qui a me nunc pluribus illustretur, L. Cornelius L. F. P. N. Silla Dictator, & bis Consul. Plinius (2) tradit, Sillam scriptum reliquisse, se corona graminea donatum ab exercitu apud Nolam, Legatum bello Marsico, idque etiam in Villa sua Tusculana, quae postea Ciceronis fuit, pinxisse. Protome haec, quae ipsum exprimere videtur (quamquam alii perperam in ea Senecam haberi putarint), recens omnino est, & Sillae violentiam refert, qua ipsum incitatum fuisse, cum faciem eius sanguis invasisset, testis est Seneca (3). Nobilior Protome ea est, quam ex Museo Barberinio protulit Causeus (4). Eius Nummum habes apud Antonium Augustinium (5), & apud Ioh. Angelum Caninium (6), qui tamen suum a Silla Dictatore, & Consule diversum facere videtur. Alterum, qui una parte Marium praeferat, altera Sillam, offendes apud Nicolaum Franciscum Haymium (7). Argenteum Nummum praeterea, qui Sillam refert, habes apud Fulvium Ursinium (8), quem dein Ioh. Fabrius illustravit. Tandem Gemmam eius vultum exprimentem invenies etiam apud Cl. Antonium Franciscum Gorium (9).

(1) *Recueil de trois cent têtes, et sujets de composition gravés par M. le Comte de Caylus d'après les pierres gravées antiques du Cabinet du Roi, num.* 294.
(2) *Hist. Natural. Lib. XXII. cap.* 6.
(3) *Epist. XI.*
(4) *Mus. Roman. Tom. I. Tab. LVI. pag.* 106.
(5) *In Dialog. II.*
(6) *Iconografia, Tav. LXIX. pag.* 99.
(7) *Mus. Britannici Pars alter. Tab. XXV. n.* 1. *pag.* 209. *edit. Vindobon.* 1765.
(8) *Illustr. Imag. Antuerpiae. apud Ioh. Moretum.* 1606. *Tab. L. pag.* 35.
(9) *Mus. Florent. To. I. Tab. LXXXII. pag.* 86., & 87.

TAB.

TAB. IX.

FIG. I. II. ET III.

CAPITA INCOGNITA.

BArbarum ex capitis tegumento Fig. I. agnoſcimus, qui barbam promiſſam gerit, ſed quis ſalutandus, dicere non audemus. Philoſophum forte cenſeas haberi Fig. II., qui barba criſpa, & crinibus impexis ornatur, aſt & ipſe incognitus nobis omnino eſt. Idem dicas de altero, quem habet Fig. III., quique ſaltem barba tenus Philoſophus eſſe poterit.

TAB. EADEM.

FIG. IV.

HOMERUS.

EX ceteris Homeri monumentis, quae nobis ſuperſunt, Homerum hac etiam in Protome facile agnoſcimus, neque etiam ipſam nos modo aliam cenſemus ab Homeri capite, quod Cl. Praeſul Raphael Fabrettius (1) in Hortis Caeliis exſtare ſcripſit. Quatuor Homeri Protomas habet Muſeum Capitolinum, alteram Aedes Farneſianae trans Tiberim, & alteram demum Delicium ſuburbanum Albanium. Fabrettius (2) quinetiam Hermam refert graece inſcriptum ΟΜΗΡΟΣ apud Caeſios. Multa habuit antiquitus Signa, & Protomas Homerus, quibus forte non niſi conficta eiuſdem imago inducta eſt; quandoquidem hoc narrat Plinius (3), Homeri ſimulacrum longa barba, propexaque ex ingenio ſuo confixiſſe Aſinium Pollionem, quo Bibliothecam ſuam exornaret. Huiuſmodi autem monumentis, forte fidelioribus, nulla regio ditior Graecia fuit, ex qua admirandum, ac pene divinum ingenium hoc prodiit. Hinc Ptolemaeus Philopator quinetiam templum excitavit Homero, in quo eius ſimulacrum ſedentis more colebatur. Antiquiſſimam quidem Homeri effigiem ex Nummo a Chienſibus in Homeri honorem cuſo edidit Leo Allatius, & praepoſuit Libro *de Patria Homeri*. Fabrettius (4) quinetiam ex Bellorio Home-

(1) *Tab. Iliad. poſt Syntagma de Columna Traian. pag.* 315.
(2) *Loc. cit.*
(3) *Hiſtor. Natural. Lib. XXXV. cap. III.*
(4) *Ibid. Tab. II.*

meri effigiem profert cum Allatiana in plurimis consentientem. Utraque enim barbam habet horridulam, & crispam, nec nimis longam, & caput diadematum. Alia autem exstat apud Fulvium Ursinium [1]; ast decipitur tamen eiusdem Commentator Fabrius [2] putans, Hermam illum, in quo Graecum epigramma insculptum cernitur, quemque antea adduxerat Achilles Statius [3], effigiem Homeri praeseferre, quia Herma capite mutilus est, & ipsemet Ursinius Statuae truncum, e quo Homeri faciem exhibuit, apud Cardinalem Farnesium exstare scripsit. Haec etiam denuo adducta habes apud Ioh. Petrum Bellorium [4], non omissis & Numismatibus, & Gemma, item ab Ursinio ibidem expressis. Alteram Homeri faciem, cuius caput taenia ornatur, & cui circumscribitur ΟΜΗΡΟΣ, profert Ioh. Angelus Caninius [5] ex Graeco Numismate, quod tamen altera parte detritum est. Homeri insuper effigiem diademate ornatam refert Gisbertus Cuperius [6]. Praeterea aeneum Numisma Homeri ex Fulvio Ursinio illustrat Ioh. Fabrius [7]. Nicolaus Franc. Haymius [8] in ea est sententia, ut censeat, duos Atheniensium nummos, qui in postica Tragicum Poetam obferunt, etiam in antica Epicorum principem Homerum repraesentare, cuius exstimatio magna apud Athenienses erat, cuius Statuae in arce adservabantur, & de cuius denique patriae gloria Athenas inter, atque sex alias Urbes contendebatur, ut proinde eum olea coronaverint, quae arbor sacra erat Minervae praesidi ludorum Panathenaeorum, in quibus carmina Homeri recitabantur. Tum idem Haymius [9] alium profert Homeri Nummum unicum ex Museo Comitis Pembrokii, in quo cernitur caput barbatum, & diademate cinctum, ore venerando, & inscripto nomine ΟΜΗΡΟΣ, tum in adversa parte Pallas stans dextera hastam vibrat, ac legitur ΚΡΗΤΩΝ *Cretensium*; ut proinde hoc loco mirandum veniat, Cretam de Homero in nummis gloriari, quae numquam inter septem alias singulis cognitas Civitates, de Homeri patria contendentes, adnumerata fuerit. Quandoquidem vero Smyrna a septenario hoc numero non aberat, hinc in Nummo altero apud Haymium ipsum [10], qui

(1) *In Imag. Illustr. Viror. pag.* 20., & 21.
(2) *Pag.* 46.
(3) *Inlustr. Viror., ut exstant in Urbe, expressi vultus, Tab. XV.*
(4) *Veter. illustr. Philosoph., Poetarum, Rhetor., & Orator. Imagines &c. Tab. LII., & LIII. pag. 5. & 6.*
(5) *Iconografia, Tav. XXVII. pag.* 53.
(6) *Apotheos. Homeri pag.* 7.
(7) *Illustr. Imagines &c. Antuerp.* 1606. *Tab. LXXII. pag.* 72.
(8) *Mus. Britan. Par. I. Tab. XIX. n.* 2., & 3. *pag.* 207. *edit. Vindob.* 1763.
(9) *Lic. cit. Par. alter. Tab. VII. n.* 4. *pag.* 72.
(10) *Ibid. Tab. XXVIII. n.* 6. *pag.* 237.

qui Neronem praefert, & pertinet ad concordiam Smyrnam inter, & Laodiceam initam, quam duae porrectis dexteris mulieres designant, Homeri nomen inter eas insertum legitur. Insuper Homeri caput ex Iaspide rubro, & alterum ex Vitro cyaneo Musei Medicei adfert Cl. Anton. Franc. Gorius (1). Tum Gemmam anaglypticam ex Achate Musei Comitis Iosephi Merendae Forolivienfis, tamquam Homerum exprimentem vulgavit, & Italico Carmine ornavit Petrus M. Ghinius Meldulensis in Aemilia ex Minimorum familia (2). Recensitis usque nunc Signis, Protomis, Hermis, Numismatibus, & Gemmis Homeri effigiem, aut etiam nomen praeferentibus, modo ad cetera monumenta, Anaglypha nempe veniendum superest. Initium ducemus a lapide admirabili in Marinensi Columnensium Principum ditione eruto, quod Romae in domestica gaza etiamnum adservant, & in quo expressus anaglyptico opere, quod ΑΡΧΕΛΑΟΣ . ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΥ . ΕΠΟΙΗΣΕ . ΠΡΙΝΕΥΣ. *Archelaus Apollonii F. fecit Prinensis*, cernitur Homerus inter Deos assumptus, ac per varios Flamines, & consecrantium ordines, Musarum tum maxime, ad divinos honores evectus. Illustrarunt hoc egregium monumentum praecipue superius laudati Fabrettius (3), & Cuperius (4), tum Bernardus Montfauconius (5), Ezechiel Spanhemius (6), Edmundus Chisullius (7), & tandem Schottius (8), cuius explanationem latine redditam Cl. Marchio Ioh. Polenius (9) recudendam curavit. Tandem Homeri effigiem insuper habes cum longa Inscriptione ad occiput apud Laur. Begerium (10), & ex eo apud Montfauconium (11). Nunc de Tabula Iliaca dicendum aliquid videtur, quae inventa est apud Bovillas inter rudera vel templi Claudio excitati, quod Neronem auctorem, & conditorem ex suburbana vicinitate habuit, vel sacrarii illius Iuliae gentis ibidem a Tiberio conditi, de quo Tacitus (12). Tabula hac siquidem exprimitur ΙΛΙΑΣ . ΚΑΤΑ . ΟΜΗΡΟΝ, *Ilias secundum Homerum*, tum

ΙΛΙΟΥ.

(1) *Mus. Florent. To. I. Class. III. Tab. XLIII. n. I., & II. pag.* 95., & 96.

(2) *Lettera in versi sopra un Cameo in agata di due colori rappresentante Omero &c. In Pesaro* 1760.

(3) *Loc. cit. pag.* 347. *Tab. III.*

(4) *Loc. cit.*

(5) *Antiq. Explic. To. V. Part. I. Lib. IV. Cap. XIII. Tab. CXXX. pag.* 168.

(6) *De usu, & praestantia Numismatum To. I. p.* 96.

(7) *Inscript. Sig. pag.* 23.

(8) *Explication nouvelle de l'Apotheose d'Homere representée sur un marbre ancien, de l'usage du Trepied de Delphis, & de l'Emploi des Engastrimythes par M. Schott Conseiller, Bibliothecaire, & Antiquaire de .... Prusse. A Amsterdam* 1714.

(9) *To. II. Suppl. ad Antiq. Roman., & Graec. pag.* 1.

(10) *Thesaur. Brandeb. To. III. pag.* 320.

(11) *Antiq. Explic. To. IV. Cap. VII. num. I. Tab. XXXVIII. pag.* 84., & *in To. IV. Suppl. Lib. IV. cap. VI. n. III. Tab. XXXVII. n. 2. pag.* 82., ubi Inscriptio latine raddita ex Fabrettio.

(12) *Annal. Lib. II.*

ΙΛΙΟΥ . ΠΕΡΣΙΣ . ΚΑΤΑ . ΣΤΗΣΙΧΟΡΟΝ . ΤΡΩΙΚΟΣ. , *Ilii excidium ſecundum Steſichorum de Bello Troico*, dein ΑΙΘΙΟΠΙΣ . ΚΑΤΑ . ΑΡΚΤΙΝΟΝ . ΤΟΝ . ΜΙΛΗΣΙΟΝ . , *Aethiopica Arctini Mileſii*, ac tandem ΙΛΙΑΣ . Η . ΜΙΚΡΑ . ΛΕΓΟΜΕΝΗ . ΚΑΤΑ . ΛΕΣΧΗΝ . ΠΥΡΡΑΙΟΝ. , *Ilias parva Leſchae Pyrraei*, quorum ſcripta deperdita . Inſigne hoc monumentum , quod antea obtinuerat Archangelus Spagnius Romanus, nunc habet Muſeum Capitolinum , atque totam Iliadem exprimit a VII. nempe libro uſque ad finem , cum pars deficiens antecedentium librorum argumentum comprehenderet. Monumentum hoc Tabulae Iliacae allatum etiam videas a Montfauconio (1), qui inſuper duo alia fragmenta, quae ad idem monumentum pertinent, quaeque a Cl. Praeſule Franciſco Blanchinio acceperat , exhibuit (2). Nunc autem poſtremo aliquid dicendum ſupereſt de Homeri ſepulcro, quod nuper inventum in Inſula Io fama quam longiſſime producta increbuit. Siquidem cum circa finem anni CIↃIↃCCLXXI. in Inſulis Maris Aegei , quas tunc imperio ſuo ſubiecerat Ruſſorum Semiramis Catharina Alexieuna , degeret Comes Henricus Leonardus Paſchius Krienenius ex Aldekerck in Gueldria, qui in eius exercitu merebat, eo ſe adductum cenſuit , ut caeciam verſus Inſulae Io, in loco, qui vernacula Graecorum lingua ψαξο πυργο, turris nempe piſcis dicitur , marmoreum ſepulcrum invenerit, in quo Homeri aſſicatum cadaver ſedens adhuc ſtaret, atque ibidem praeter nonnulla haud ſane adnotatu digna crepundia duo ex aere Numiſmata, in quorum uno ΟΜΙΡΟϹ antiquiſſimo ſcripturae genere legeretur, tum Gemma, ac parvulum caput ex marmore, quae omnia Homeri faciem praeſeferrent, deprehenderit; ac tandem in fronte marmorei ſedilis, quo inſiſtebat Homeri cadaver, haec inter cetera inſculpta legerit :

ΕΝΘΑΔΕΤΙΝΙΕΡΑΝΚΕΦΑΛΙΝ
ΚΑΤΑΓΑΙΑΚΑΛΥΠΤΕΙΝΑΝΔΡΟΝ
ΙΡΟΟΝΚΟϹΜΙΤΟΡΑΘΕΙΟΝΟΜΙΡΟΝ.

Haec ſi communibus elementis exprimas , hac nempe ratione :

Ἐνθάδε τὴν ἱερὴν κεφαλὴν κατὰ γαῖα καλύπτει
Ἀνδρῶν ἡρώων κοσμήτορα θεῖον Ὅμηρον .

Condit humus caput haec ſacrum, qui verſibus arma
Fortia divinis heroum ornavit, Homerum,

non

(1) *Loc. cit. To. IV. Part. II. Lib. IV. Cap. XIV. Tab. ult. pag.* 297.

(2) *Loc. cit. Supplem. ad To. IV. Lib. IV. Cap. VII. n.* 1. *Tab. XXXVIII. num.* 1., & 2. *pag.* 84.

non aliud heic haberi deprehendes, quem Homeri elogium, quod multo tempore ab eius morte a Ienſibus populis eius ſepulcro inſcriptum narrat Herodotus, vel quilibet alius certe antiquiſſimus Auctor *de Vita Homeri* (1). Haec porro Comes ipſe Krienenius deſcripſit edito de laudatis Inſulis, ac de Ienſi Homeri ſepulcro Opuſculo, quod Liburni ſuperiore anno excuſum eſt (2), & in cuius Praefatione locum fecit Tabulae aeneae, in qua laudatam epigraphem (3), tum alias vetuſtiſſimis litterarum formis ex autographo, ut dicitur, inſculptas cernere unuſquiſque poſſit. Ceterum hoc eodem ſepulcrali Homeri elogio Neapolitanus quidam falſarius Alcibiadem tenere honoravit, ΑΛΚΙΒΙΑΔΗΝ in in marmor ipſum, quod in celebri Pontani ſacello locum dein obtinuit, invitis Muſis inducens, & ΟΜΗΡΟΝ expungens (4). Duobus vero ab hinc menſibus Krienenius ipſe Romam petens & Homeri ſepulcrum, & cetera antiquitatis Graecanicae monumenta, quae deſcripſit, obtulit Sapientiſſimo Pontifici Clementi XIV. P. M., quibus Vaticanum ipſius Muſeum ſane ampliſſimum ornaret, multa interim ſecum adferens, quae Romae depoſiti loco reliquit in aedibus Vaticanis, & praeſertim vim ingentem Idolorum, & Vas ex alabaſtro, continens ΣΕΘΟΝΣΕΟΣ ΧΕΙΡΑ, *Sethonſii*, vel Seſoſtris *manum*, in balſamo ſervatam, teſte Inſcriptione, quam ſupra idem Vas ſe deprehendiſſe ſcribit (5), cetera ſe ex Naxo, ubi iam eadem depoſuerat, Homeri nempe ſepulcrum, cineres, epigraphem, Sethonſii Inſcriptionem, & aliquot etiam Arundellianorum Oxonium ex Sicandro advectorum marmorum reliquias, quae ſupererant, quaſque nonniſi tecta deſcriptione adumbravit (6), Romam quantocyus ſe advecturum pollicitus. Aſt dum haec ſcribimus, dum horum monumentorum transfretatio curatur, heu! crudele nimis fatum Eccleſiae, Urbi, & Orbi eripuit Sanctiſſimum Pontificem, & optimum Principem Clementem XIV., in quo uno ſimul Religionis vindicem, publicae tranquillitatis fundatorem, litterarum, ſtudiorumque patronum, bonarum artium amplificatorem, & proborum omnium praeſidium, ac columen praeſentiſſimum amiſiſſe dolemus. Quid nunc de hiſce monumen-

(1) *Exſtat etiam in Antholog. Lib. III. in Poet.* 3.

(2) *Breve deſcrizione dell'Arcipelago &c., e ſpecialmente del Sepolcro d'Omero, e d'altri celebri perſonaggi. In Livorno* 1773.

(3) *Ibid. num.* 3.

(4) *Graecorum Epigrammatum, quae latine reddita a V. Cl. Jacobo Martorellio proſtant Neapoli in Sacello Ioviani Pontani, editio altera, cui ab aliena manu* (Nicolai Ignarrae) *acceſſerunt breves nonnullae animadverſiones. Romae* 1760. *pag.* 12., & *ſeqq.*

(5) *Vid. loc. cit. pag.* 136., & *Praefat. pag. VII. Vid.* & *Tab. num.* 6.

(6) *Vid. ibid. pag.* 29., & 30.

mentis ſperandum, neſcimus. Certe quidem, ſi peritorum oculis ſubiecta ſincerae vetuſtatis ſuffragium tuliſſent, digna Romanis Laribus, & eruditorum deliciis exſtitiſſent; ſin minus, id ſaltem boni haberi poterat, ut de huiuſmodi ſuſpectis antiquitatis reliquiis nemo in poſterum laboraret.

TAB. X., ET XI.

M. TULLIUS CICERO.

INter plurimas, quae M. Tullii Ciceronis eſſe praedicantur, imagines ſemper apud litteratos Viros in pretio fuit Protome Matthaeiorum Principum. Ea ſiquidem ſculpturae, & epigraphis, qua CICERO infra thoracem inſcribitur, tum elegantia, tum venuſtate commendatur. Duplicem eiuſdem typum exhibemus, quo recta primum, dein a latere conſpiciatur. Virum habes perampla fronte, naſo ſubaquilino, barba eraſa, & quadam oris hilaritate, ac ſuavitate, quam de ſe ſaepe in ſuis epiſtolis praedicat, donatum, atque iam matura aetate, nec quidem multum diſſita ab annis LXIII., & amplius, quos vixiſſe novimus, qua nihil quidem turbata cernitur eius *facies decora ad ſenectutem*, quam Aſinius Pollio commendavit [1]. Praetereo ſcriptores, qui huius Protomes mentionem fecerunt, cum nullus ferre rerum Romanarum deſcriptor intactam reliquerit. Eos potius deſignandos aggrediar, qui ipſius typos ante nos exhibuerunt. Primas ducet Fulvius Urſinius, qui inter *Illuſtrium Imagines* [2] illam antiquitatis amatoribus propoſuit. Succedit dein Ioh. Petrus Bellorius [3], qui denuo ipſam dedit eruditis omnibus conſpiciendam. Tum ſequitur Iacobus Gronovius editor Operum omnium Tullianorum [4], qui ſuae Praefationi praepoſuit Tabulam aeneam decem Ciceronis imagines praeferentem, quarum I., & VI. noſtra haec Protome cenſenda eſt, utpote quae non alia ſit ea, quae fuerit apud Cyriacum Matthaeium, ut ait Urſinius, ac quae in Hortis Caelianis, ut ait Fabrius, & dein Bellorius etiam, quorum idem conditor, & ex quibus ad aedes urbanas ad Circum Flaminium, ut eius ſecuritati magis conſuleretur, translata fuit. Tandem Cl. Antonius

(1) *Apud Senec. Suaſor. 6.*

(2) *Num. CXLVI. edit. Antuerp. 1606., cuius auctor Ioh. Faber.*

(3) *Imagin. illuſtr. Rhetor. num. 77. pag. 5.*

(4) *Edit. Lugdun. Batav. ann. 1692.*

tonius Franciſcus Gorius [1] eam ex Urſinio laudat una cum Gemma Stoſchiana, de qua inferius; ſiquidem cetera etiam monumenta praeſtat recenſere, quae vel exſtitiſſe innotuerunt, vel adhuc exſtant. Ut a marmoreis monumentis, Statuis nempe, & Protomis initium ducamus, illud monebimus primo ex ipſo Cicerone [2], & ex Plutarcho [3] conſtare, Capuanos, qui ipſum patronum ſuum adoptaverant, eidem inauratam Statuam collocaſſe. Ceterum ipſe ad Atticum ſcribens [4] Aſiaticis ſe obſtitiſſe aſſerit, ne huiuſmodi monumentis ipſum honorarent: *Ob haec beneficia, quibus illi* (Aſiatici) *obſtupeſcunt, nullos honores mihi, niſi verborum, decerni ſino: Statuas, fana,* τέθριππα *prohibeo*. Tanta tamen fuit inde meritorum eius fama, & exiſtimatio virtutis, ut dein huiuſmodi honores ipſum conſequuti fuerint. Certe Alexander Severus Imp., teſte Lampridio [5], *Virgilii imaginem cum Ciceronis ſimulacro in ſecundo Larario habuit*. Ciceronis Statuam, ut apud pleroſque audit, ſive potius Protomen habes in Muſeo Capitolino, cuius typum cernere eſt inter Statuas antiquas, & recentiores Dominici Rubei [6], quas Paullus Alexander Maffeius adnotationibus exornavit. Tum eamdem illuſtravit, & aere accuratius caelatam exhibuit praeſtantiſſimus Vir Iohannes Bottarius in Muſeo ipſo Capitolino [7], ubi multas alias Ciceronis imagines recenſet, ad quas & nos inferius provocabimus, tum & nonnullas alias, quas ipſe intactas reliquit, innuemus. Plures vero de hac Protome verba fecerunt, ac nobis in primis Iacobus Sponius [8], qui ipſam Romae vidit, nominandus nunc occurrit. Tum de ea loquitur Cl. Wrightius in *Itinere per Italiam* [9], qui ob ciceris notam, quae in facie adpoſita eſt, de eius genuitate addubitavit. Certe quidem Plutarchus [10] non noſtro, ſed primo gentis auctori, vel cognominis adſertori id tribuit, dum ait: Ἐν τῷ πέρατι τοῦ ῥινός, διαστολὴν ἀμβλεῖαν εἶχεν, ὥσπερ ἐρεβίνθου διαφυὴν, *in extremitate naſi habebat productionem obtuſam, veluti ciceris fiſſuram*. Neque etiam cicer iſtud ſiniſtrae genae aptandum erat, ſed potius primori naſo, ſi Plu-

(1) *Muſ. Florent. To. I. Claſſ. III. Tab. XLI. n. II., & III. pag. 88., & 89.*

(2) *Oration. pro Piſon. Cap. XI.*

(3) *In eius Vita. Vid. Alexium Symmachum Mazochium de Amphitheatro Campano pag. 12. adnot. 3., & Tab. Heracl. Part. II. pag. 393., & ſeq., tum & Franc. Granatam* Storia Civile della Città di Capua *Lib. I. Cap. IX. pag. 207.*

(4) *Lib. V. epiſt. XXI.*

(5) *In eius vita cap. 31.*

(6) *Fig. XXI.*

(7) *Del Muſeo Capitolino To. I. Tav. LXXXII. p. 42.*

(8) *Voyage d'Italie, de Dalmatie, de Grece, & du Levant fait en 1675., & 1676. To. I. p. 302.*

(9) *Pag. 326.*

(10) *Loc. cit.*

Plutarchi testimonio insistere quoquomodo Sculptor voluisset. Ceterum antiquae, & bonae notae est haec Protome, si excipias insertum hoc cicer, quod nulla ratione indi debuerat, tum etiam menti, & oris restaurationem, quam, teste Francisco Ficoronio [1], recens Artifex peregit. Vide hac de re *Miscellaneas observationes in Auctores veteres, & recentiores ab eruditis Britannis anno* CIƆIƆCCXXXI. *edi coeptas* [2]. Statua Ciceronis praeterea praedicatur, quae est in vestibulo Bibliothecae gentis Barberiniae; Tum & in eiusdem gentis Museo adservatur Protome Ciceronem referens, quam exhibet Angelus Causeius [3], quamque Leonardus Augustinius [4] etiam memorat inter *egregia ornamenta magnificentiae D. Maffeii Barberini Clerici Camerae Apostolicae, qui postea fuit gloriosus ille Urbanus VIII.* Caput Ciceronis exstabat olim in aedibus Iuliani Caesarinii, teste Ulysse Aldrovandio [5], qui cicer in naso adnotat. Quo sponsore vero affirmaverit laudatus Aldrovandius [6], Caput Ciceronis filii in domo Iohannis Baptistae Melinii prostasse, libenter ab eo accepissem. Tamquam Ciceronis Protome a nonnullis etiam praedicatur ea, quae in aedibus gentis Borgiae Patriciae Velitris cernitur, quaeque, utpote vetustae, egregiaeque sculpturae, & antiquum Philosophum repraesentans, aere caelata adducta est a Iosepho Rocco Vulpio [7], licet non sat fideliter expressa, ut oculis nostris superiori anno deprehendimus. Ciceronis Protome censetur etiam, quae in Museo altero Clementino Vaticano, excipiendis aeneis monumentis parato, quamquam ea ex marmore sit, adservatur. Caput Ciceronis habes insuper in Plutarchi editione, quam curavit Dacierius, qui unde petiverit, non monet; at illud ex eo rursus expresserunt Ioh. Dasserius, & filii [8]. Protome, quae exstat in vestibulo regii Musei Medicei, post Gorium [9] a Cl. Bottario nostro [10] tamquam Ciceronem referens honorifica descriptione ornata est. Tum in editione Amstelodamensi apud Wetstenios [11] praecedit Tabula aenea, in qua quinque Ciceronis imagines afferuntur, quarum tres ex Marmoribus, & Gemmis, ceterae ex Numismatibus, de quibus infra, petitae sunt. Ex Gronoviana editione, quam supra innuimus

(1) *Le vestigia di Roma antica Lib. I. cap. X. pag.* 49.
(2) *Vol. I. To. II. pro mens. Sept., & Octob. pag.* 141., *& seq.*
(3) *Mus. Roman. To. I. Tab. LVII. pag.* 106.
(4) *Gemm., & sculpt. antiq. Par. I. pag.* 10.
(5) *Statue di Roma pag.* 223.
(6) *Ibid. pag.* 180.
(7) *Vet. Lat. profan. To. IV. Cap. VI. Tab. VII. ad pag.* 78.
(8) *Spiegazione delle medaglie incise da Gio. Dassier, e figli &c. num.* 44.
(9) *Loc. cit.*
(10) *Loc. cit.*
(11) *Anno* 1724. *in* 8. *To. I.*

mus, certe petitas censeo marmoreas imagines, de quibus idcirco pluribus loqui minime refert. Neque heic praetermittendum est, Octavium Ferrarium [1] Ciceroni adiudicasse Statuam togatam, quam habet Palatium Venetiarum Ducis; quamquam a Gronovio reprehensus fuerit, ast parum firmis, ut Bottarius ostendit, argumentis. Tandem Clavellius [2], & Iohannes Lisius [3] asserunt, Arpini, ubi ortus est Cicero, adhuc adservari ad Divi Dominici eius Simulacrum consularibus vestibus ornatum. Nunc vero ad Gemmas procedamus. Prima inter has prodeat Gemma anaglyptica, sive Onyche, quae & Cameus vulgo audit, olim Christinae Svecorum Reginae, dein Livii Odescalchii Sirmii, & Braceni Ducis, quae a Petro Sancte Bartholo caelata edita primum fuit a Ioh. Petro Bellorio [4], ac dein ab Henrico Brulaeio illustrata, editore Nicolao Galeottio [5]; quam laudatam a Paullo Alexandro Maffeio [6] etiam offendes. Causeius vero ex Sardonyche aliam exhibuit Ciceronis effigiem, quae in Museo Casparis Alterii Romani Principis servabatur [7]. Tum Carneolam veterem a Ioh. Angelo Caninio caelatam Ciceronem exprimere existimat Marcus Antonius frater [8]. Faciem Ciceronis sculptam in Achate nigro dedit quinetiam Leonardus Augustinius [9] supra laudatus. Carneolam quoque Ciceronis facie insculptam proposuit Fulvius Ursinius [10], quam Gronovius [11] iterum edidit. Gabriel Simeonius [12] Carneolam alteram Fani inventam, tamquam Ciceronem exprimentem, exhibuit, quam dein Gronovius [13] reposuit. Sardonyche Ciceronem praeferens ex Museo Palatino [14] memoratur a Laurentio Begerio [15], cui tamen adversatur, qui rursus adduxit, Gronovius [16]. Gemmam a Ficoronio acceptam dedit etiam laudatus Maffeius [17], quae epigraphe M. TVL. insignita est. Binas Gemmas vero, alteram Topazium, & Iaspidem rubrum alteram, consule apud Cl. Gorium [18], qui Ciceronem ab illis referri facile credidit, quod cum Protome marmorea Matthaeiana apud Ursinium, & cum Gemma nobilis-

(1) *De re vestiar. Lib. I. Cap. I.*
(2) *Histor. Arpin. Lib. IX.*
(3) *Histor. Sorana Lib. IV. pag.* 113.
(4) *Imag. illustr. Rhet. Part. III. n.* 78. *pag.* 5.
(5) *Mus. Odescalch. To. I. Tab. XXVII. pag.* 34.
(6) *Gemm. ant. To. I. n.* 66.
(7) *Mus. Roman. To. I. Tab. XXII. pag.* 18.
(8) *Iconografia, Tav. LXXI. pag.* 101.
(9) *Loc. cit. Par. I. Tab. XXVII. pag.* 10.
(10) *Imagines, & elogia Virorum illustr. &c. n.* 146.
(11) *Loc. cit. num. II.*
(12) *Imag. Vir. illustr. pag.* 68.
(13) *Loc. cit. num. VII.*
(14) *Num.* 71.
(15) *Thes. Brandeb. To. I. pag.* 115.
(16) *Loc. cit. num. VIII.*
(17) *Loc. cit. num.* 71.
(18) *Loc. cit. Vol. I. Class. III. Tab. XLI. n. II., & III. pag.* 88., *&* 89.

bilissima a Dioscoride scalptorum praestantissimo incisa, quae inter Stoschianas [1] cernitur, convenire eidem viderentur; Siquidem ab Stoschio ipso audiverat Gorius, ipsi in animo esse in secundis curis ad Gemmas antiquas caelatas, scalptorum nominibus insignitas, quas ediderat, non Maecenatis, ut nonnullis visum fuerat, sed Ciceronis effigiem potius in laudata Gemma multis rationum momentis insculptam asserere. Tandem Caylusius in postumo eius Opere [2] duas ex regio Parisiensi Museo Gemmas protulit, in quarum prima caput Ciceronis cum epigraphe M. T. C., in altera ipsius caput dumtaxat cernitur. Restant Numismata, quae nunc quoque recensenda aggredimur. Omnibus quidem praestat, quod Ursinii fuit, quodque a Ioh. Fabrio editum anteriori tantum parte, & illustratum est [3], atque dein ex eo a Gronovio [4], ab Andrea Scottio [5], & a Ioh. Georgio Graevio [6] recusum est, quodque laudat etiam Leonardus Augustinius [7], & Bottarius ipse [8], qui insuper Iulii Caesaris Velii Bononiensis epistolae fragmentum profert ex Cod. Vaticano [9], quo eius pretium, & emptionis difficultas deprehendatur. Eumdem Nummum retulisse etiam videtur Tristanus Sanctamantius [10], ubi de Magnesiis Asiaticis. Nec alius etiam videtur ille, quem protulit Petrus Lambecius [11], quemque indubitatae antiquitatis asseruit. Hunc etiam laudatus Graevius denuo proposuit ad editionem Ciceronis epistolarum *ad familiares*. Utrumque tum ex Ursinii, tum ex Lambecii typo rursus exhibuit Carolus Patinius in suis ad Svetonius adnotationibus [12]. Ad huiusmodi Nummum provocat etiam Sigismundus Liebeius [13], qui eius epigraphem refert. Praeterea conspiciendus etiam venit in Tabula aenea, quam superius monuimus haberi in editione Operum Ciceronis apud Wetstenios [14]. Ipsum tandem attulit Paullus Pedrusius [15] inter Numismata Farnesiana, nunc regia Neapolitana, quorum maxima pars ad Fulvium Ursinium pertinuit, ut

(1) *Tab. XXVII.*
(2) *Recueil de trois cent têtes, & sujet de composition gravés par M. le Comte de Caylus d'après les pierres gravées antiques du Cabinet du Roi, num. 6., & 17.*
(3) *Append. ad Imag. illustr. ex Fulvii Ursini Biblioth. litt. R. Antuerp.* 1606.
(4) *Loc. cit. num. III.*
(5) *In fronte Quaest. Tullian. a Mureto edit. ann.* 1610.
(6) *In eius edit. Lucii Flori pag.* 133.
(7) *Loc. cit.*
(8) *Loc. cit.*
(9) *Num.* 4104. *pag.* 266. *Epistola data est ad d.* 28. *Febr.* 1598.
(10) *To. II. pag.* 429.
(11) *Bibl. Caesar. Vindob. To. II. pag.* 726.
(12) *In Aug. pag.* 66.
(13) *Gotha Nummar. Thes. Frideric. cap. V. §. XXVIII.*
(14) *To. I. Tab. aen. num. IV.*
(15) *I Cesari in metallo grande raccolti nel Museo Farnese To. VIII. Tav. XI. num. VIII. pag.* 144.

ut nemo non novit. Nimii essemus, si horum Scriptorum iudicia, & eiusdem Nummi varietates omnes recensere nunc esset animus. Quare potius hoc loco accuratum ectypum proferemus huius Nummi ex autographo ipso, quod nonnullis ab heinc annis obtinuit Vir Cl. Maurus Sartius, quodque nunc in Museo Classensi Ravennae adservatur, ut & Annalium Camaldulensium eruditissimi Conditores innuerunt [1]. Forma haec accuratior, quam quae alia quaelibet, usque dum anecdota, aliorum typorum varietates facile prodet, si eam cum ceteris lubeat Lectoribus nostris conferre. En ipsam, addita quinetiam forma alia vitro aucta:



Magnesii a Sipylo in Asia minore grati fuerant Quinto Fratri, qui nempe Tenedum, & Sipylum, cum esset in Asia Pro-Praetor, rexerat. Hinc Sipyli legati Romam missi magis, quam Tenedi legati, eumdem in Senatu laudarunt, teste Marco Tullio in litteris, quas ad ipsum perscripsit [2], ubi ait: *De te magis ab Sipylo mentio est honorifica facta*. Quid vero cum M. Tullio Fratre commune habuerit Sipylum, ut eius me-

(1) *Appendix ad To. VIII. Annal. Camald. To. IX. pag.* 149.

(2) *Lib. II. Epist. X.*

memoriam Numiſmati commendaret, neſcimus. Ceterum fieri potuit, Quincto fratre illud moderante, aliquod beneficium a Senatu Romano fratri ipſi gratificaturum Marcum pro eodem impetraſſe, ut hinc hoc grati animi in eum officium publice decretum fuerit, ut proinde in hoc Nummo Ciceronis faciem habeas annos nati XLVI., vel XLVII., quot tunc numeraſſe conſtat. Ciceronis Numiſma certe confictum, ut illud Catonis, aliorumque, refertur ab Andrea Fulvio (1), qui omnium primus Numiſmatum impreſſionem perfecit, quique ignotus fuit Bandurio, & Fabricio, qui Bibliothecam nummariam concinnarunt. Praeterea habentur & alii Nummi, quorum nonnulli etſi Ciceronis facie carentes, eius tamen nomine quoquomodo inſtructi ſunt. Horum duos profert Urſinius (2), atque eos tribuit M., & Q. fratribus, & M. filio, quos opinatur fuiſſe III. Viros A. A. A. F. F., licet ſolius Ciceronis patris nomen ſignatum fuerit; tum in altero horum cernitur Romae ſimulacrum, & Caſtor, & Pollux equitantes; in altero vero Veſtae effigies, & rotundum ipſius templum. Dein Nummum alterum cum capite Romae, & cum quadriga, aurigante Victoria, addita & epigraphe M. TVLLI., forte ad triumphum ſpectantem ob res in Cilicia ab ipſo bene geſtas, refert Bellorius (3), qui & ad ſuperiores provocat. Pariter Nummus alter Ciceroni attributus, in cuius antica parte ſerpentes cum caduceo, & bilingui epigraphe, Latina nempe, & Graeca, conſpicitur, videri poterit apud Petrum Seguinium (4), ex quo in aeneam Tabulam praefixam editioni Amſtelodamenſi Operum Ciceronis apud Vetſtenios (5), quam non ſemel ſupra laudavimus, invectus eſt. Conſule quinetiam, quem M. Ciceronis, & Appii Claud. nomen praeferentem Fridericus Morellius ex Goltzio adduxit (6). A Ioh. Frider. Schoepperlinio (7) inſuper laudatur alter Ciceronis Nummus Latina epigraphe inſignitus, in cuius averſa parte MARIVS legitur, quo adumbrari ait diſputationem quamdam deperditam, ſic inſcriptam, quam nempe & ipſe in ſuis operibus (8) innuit. Tandem Caput Ciceronis habetur confictum a Ioh. Cavinio, qui ſuperiori ſaeculo antiquorum Numiſ-

(1) *Illuſtrium imagines. Romae apud Iacobum Mazochium ann.* 1516. *Vid.* Biblioteca antica, e moderna di Storia Letteraria. In Peſaro 1768. *To. III. Part. II. Sect. I. Art. III. §. I. pag.* 88., *& ſeqq.*

(2) *Loc. cit. pag.* 80.

(3) *Loc. cit. num.* 78. *pag.* 5.

(4) *Select. Numiſm. antiq. pag.* 71.

(5) *Num. V.*

(6) *Theſ. Numiſmat. inter Nummos Conſul. Goltzii Tab. XXXIII. n.* 4.

(7) *Nummi antiqui rariores, aut attriti nunc e Tabulis Cronagelianis producti &c. Onoldini* 1757. *num. XXXIII.*

(8) *Lib. I. de Divinat., & Lib. I. de Legib.*

miſmatum adulterandorum artem Patavii exercuit, quorum Catalogum ex Marculis ſignatoriis, qui in Bibliotheca S. Gienevefae Lutetiae Pariſiorum adſervantur, a Molinetio in eiuſdem Bibliothecae deſcriptione exhibitum, recudit Eucharius Gottlieb Rinkius ad calcem Operis *de veteris Numiſmatis potentia*, *& qualitate* (1), ut falſi Nummi a genuinis promptius dignoſci queant. Certe idem Rinkius (2) Ciceronis Nummos praeſertim inter ſuppoſititios habet. Id etiam antea ſenſerat Antonius Auguſtinius (3), tum & Urſinius ipſe (4), qui Ciceronis, Marii, Pompeii, & Catonis nummos inter adulterinos amandarunt. Tum Patinius (5) etiam de Urſiniano, & Lambeciano Numiſmate addubitavit, quod nulli Romanorum conceſſum fuerit effigiem ſuam monetae imprimere ante Pompeium, cui primum ex S. C. indultum fuit, Caeſari deinde Dictatori, & poſtea Auguſtis. Certe numquam legimus id iuris conceſſum privatis hominibus, niſi forte Principum decretis, quorum nullum Ciceroni potuiſſe videtur huiuſmodi honore gratificari. Aſt ſi de Coloniis Graecorum ſermo ſit, haec critices regula parum loci habet, ubi facile Proconſulibus, Praefectis, Pro-Praetoribus, aliiſque Romanis Provinciarum Magiſtratibus ii honores decreti, quorum Romae negata facultas. Quare nil vetat, quominus Magnetum a Sipylo in Ciceronis honorem cuſum Numiſma, quamquam a Liebeio (6), & a Gronovio (7) νοθείας ſuſpicione inuratur, ſincerum, & ingenuum ſtatuamus. De ceteris vero, quae recitavimus, parum laborandum cenſemus. De Protomis quinetiam, ac de Gemmis ſingulis vadimonium obire nobis non eſt animus, ut proinde Wrightio (8) de Capitolina Protome, & Gronovio de Statua Veneta togata, tum & de Sardonyche Palatina (9), & de altera Muſei Alterii (10) addubitare facile per nos liceat. Nunc praeſtat de Ciceronis corpore, & forma ea addere, quae ad eius vultum vel dignoſcendum, vel explodendum in antiquis monumentis aliquid luminis afferre poſſint. Certe ipſe ita de ſe ſcribit (11) annos natus circiter XXVIII., non autem XL., ut perperam Brulaeius, vel eius editor Galeottius (12): *Erat eo tempore in nobis ſumma gracilitas*, *& in-*

(1) *Lipſiae, & Francofurti* 1701. *num.* 50.
(2) *Ibid. Cap. XVI. §. IV. pag.* 116.
(3) *Loc. cit.*
(4) *Dial. XI.*
(5) *In Numm. famil. Roman.*
(6) *Loc. cit.*
(7) *Loc. cit.*
(8) *Loc. cit.*
(9) *Cit. Praef. ad Oper. omn. Cic.*
(10) *Theſ. antiq. Graec. Vol. III.*
(11) *In Brut., ſeu de Clar. Orat. circ. fin.*
(12) *Muſ. Odeſcal. To. I. pag.* 35.

& infirmitas corporis: procerum, & tenue collum; qui habitus, & quae figura non procul abesse putatur a periculo vitae, si accedit labor, & laterum magna contentio; ut proinde hortatus sit desistere a caussis agendis. Tum Plutarchus (1) ita de eo ait: Ἦν ὄντος ἰσχνὸς, καὶ ἄσαρκος, *erat corpore gracili, & macilento*. Quare non abludere ab eius forma videtur Carneola, quam ex Ursinio innuimus, & Protome Medicea, quam citavimus, in quarum utraque macer corpore apparet. Ceterum ex Plutarcho ipso novimus, ubi de Sullae morte Athenas allatum est nuncium (quod contigit anno Urbis DCLXXV., quo decurrente, Cicero XXIX. agebat aetatis annum) iam corpus eius excitationibus confirmatum meliori habitu esse coepisse, & vocem ita conformatam fuisse, ut cum auditu suavis, ac plena, tum ad corporis constitutionem moderate accomodata esset (2). Cum ergo firmior esse coepit eius valetudo, forte etiam pinguior factus, & conservatus est usque ad annum vitae eius postremum, quem supra designavimus, & ad quem accedere Protomem Matthaeianam innuimus. Barba certe ipsum caruisse necesse est, quam nullus Romanorum ante Hadrianum Aug. nutrivit; hinc falsitatis vitio laborare existimandum est eas omnes imagines, quae ipsum barba donatum exhibeant. Commode Finus Beza (3) ex Ciceronis imaginibus Romanos tunc temporis barba destitutos evincere contendit. Ne quid vero intactum ex veteribus, quae circumferuntur, Ciceronis monumentis relinquamus, aliquid etiam de nonnullis Inscriptionibus ad eum pertinentibus adnotabimus. Usque ab anno CIƆIƆXLIIII. Kal. Decembris in Insula Zacyntho ad Mare Ionium inventum fertur Ciceronis sepulcrum una cum hac epigraphe:

M. TYLLI . CICERO
HAVE
ET. TV
TERTIA
ANTωNIA

Tum insuper vulgatum simul fuit, sepulcro inclusas binas vitreas phialas, alteram maiorem cinerum, alteram minorem lacrimarum, ac tandem in fundo maioris per circumferentiam scriptum fuisse:

A V E. M A R. T V L

De-

(1) *In Vit. Cic.*

(2) *Vid. M. Tull. Cic. Histor. per Coss. descriptam, & in annos LXIV. distinctam per Franc. Fabricium Marcoduranum pag. 133., & seq. edit. Oper. omn. Cic. Amstelod. apud Wetstenios 1724. To. I.*

(3) *Ad Epist. I. D. Paulli ad Cor. Cap. XI. ver. 14.*

Deſiderius Lignamineus Patavinus Praedicatorum familiae alumnus opuſculum edidit *de facie ſepulcri Ciceronis ex Zacyntho Inſula* [1], de quo eidem alter inſtituti ſocius Sixtus Medices Venetus litteris ad eum datis [2] gratulatur. Huius ſepulcri etiam meminit, tum & Inſcriptionem refert Cotovicus [3], & ex eo Valer. Albertius, ubi *de urnis feralibus* [4]. Attulit praeterea Gruterius ipſe [5] ex Lignaminei ſchedio edito laudatam Inſcriptionem, quam Cl. Marchio Scipio Maffeius in *Arte Critica lapidaria* [6] ridendam ait, & cum Gudio ipſo inter ſpuria reiicit. Vide etiam idem ſentientem Franc. Fabricium in *M. Tullii Ciceronis hiſtoria per Conſules deſcripta, & in annos* LXIV. *diſtincta* [7], & ibidem cum Sponio adſtipulantem Gronovium. Nobis tandem turpiter impoſuit Dominicus Barnabas Matthaeius [8], dum hanc Inſcriptionem, quam miſere corruptam refert, in antiquo ſepulcro ad Pontem Cryptoferratenſem inventam tradit. Narrat autem Urſinius [9], Inſcriptiones e marmore, in quibus Terentiae Ciceronis uxoris, & Tulliolae filiae, & Ciceronis nomina legebantur, in ruinis Monumenti Tulliani VI. ab urbe lapide Via Appia, C. ab hinc annis repertas fuiſſe, ut viri docti, & antiquarum rerum periti, qui tunc vivebant, adnotarunt. Verumtamen eſt etiam noſtris temporibus, qui de invento ad Formianum Ciceronis ſepulcri loco glorietur [10]; nos vero, qui certa, & ſolida ſectamur, huiuſmodi iactationes vel cum riſu excipimus, vel ipſo ſilentio reprobamus. Quis enim de rebus ita & remotis, & ignotis omnino tuto pronunciet? Ceterum cerebroſos huiuſmodi Antiquarios tulit omnis aetas, & ne a Tullianis rebus, quas tractamus, diſcedatur, accipe, quae Alexander ab Alexandro Neapolitanus tradit [11]: *Memini, dum Romae agerem, in vetuſtis ſepulcris, quae in via Appia plurima viſuntur, inter aedificia, hortoſque, interque coagmenta lapidum, erutum cadaver fuiſſe, multo aevo vetuſtum, adoleſcentulae mulieris facie, capillo, oculis, naribus, & reliquis lineamentis prorſus integris, & incorruptis: niſi quod veſtigia liquaminum, & unguen-*

to-

(1) *Echardius editum ſcribit typis Patavinis ann.* 1548.

(2) *In To. XVI.* Nuova Raccolta d'Opuſcoli ſcientifici, e filologici. Venezia 1768. *pag.* 310.

(3) *Iter Ieroſolymitan. Lib. I. Cap. X. pag.* 50.

(4) *Lipſiae ann.* 1688., *& in To. I. Part. II. Theſ. Diſſert., editore Ioh. Chriſtoph. Martinio, Norimbergae* 1764. *pag.* 14.

(5) *Inſcript. antiq. pag.* 836. *n.* 9.

(6) *In To. I. Supplem. ad Theſ. Inſcript. Lud. Ant. Muratorii Lib. III. Cap. IV. pag.* 368.

(7) *Cit. To. I. Oper. omn. Cic. Amſtelod. apud Wetſtenios* 1724. *pag.* 133., *& ſeq.*

(8) *Memorie Iſtoriche dell'antico Tuſcolo, oggi Fraſcati. Roma* 1711. *pag.* 73.

(9) *Loc. cit. pag.* 80.

(10) *Decouverte de la Maiſon de Campagne d'Horace &c. par M. l'Abbé Bertrand Cap Martin de Chaupy, To. I. Cap. CXXXV. pag.* 214.

(11) *Genial. Dier. Lib. III. cap. II. circ. fin.*

iorum, quibus delibutum fuerat, apparebant: recenti specie, inscriptione nulla, qua nomen defunctae innotesceret. Pomponius tamen vir, ut in ea aetate, veterum litterarum impense doctus, Tulliolam M. Tullii Cic. filiam, de cuius obitu ad Servium Sulpicium sunt epistolae, aut Priscillam Abascantii, de qua Silva Papinii exstat, fuisse augurabatur. In quibus argumentis asseveraret, cum nulla inscriptionis vestigia exstarent, prorsus nescimus. Quoniam vero de apocryphis sermo est, cetera etiam, quae de genere hoc Ciceronem attingunt, audire non pigeat. Duas Ciceroni dicatas Inscriptiones refert Gruterius inter spuria, quarum primam Viterbii inventam ex Apiano, & Fabricio, alteram Tarracone Romam delatam ex Morale, & L. Pontio affirmat. Hanc vero habes quinetiam inter *Commentariorum Cyriaci Anconitani nova fragmenta*, quae edidit Vir Cl. Hannibal Oliverius [2]. Tanti certe non est lex Cornelia de falsis, quae omnes adulteratores coerceat, aut deterreat.

TAB. XII.

FIG. I.

D. BRUTUS.



QUem Claudium Imp. salutaverat Venutius, nos, consulta Protome, Brutum unum ex coniuratis, & percussoribus Caesaris potius agnovimus. Vultus lineamenta haud longe absunt ab ea descriptione, quam Cicero tradidit [3], dum ait: *Non te Bruti nostri vulticulus ab ista oratione deterret*. Tum mire etiam convenit cum effigie, quae habetur in singulari Iaspide coloris cinerei, subnigris maculis distincto, invento, in Agro Cortonensi anno CIƆIƆCCXXVIII., & adservato in Museo Coratiano Cortonae, ubi tribus ab heinc annis autumnali otio indulgens cum Cl. Praesule Stephano Borgia contrectare potui; tum & ipsius ectypus etiam apud me nunc exstat, quocum nostrae Protomes comparationem instituere commode mihi licuit. Habes in eo praeterea pileum, & pugiones, quales occurrunt in Numismate eiusdem perraro, quod signatum est EIDIBVS MARTIIS. Praeterea exstat nunc in Museo Clementino Vaticano aeneorum Monumentorum Nummus aureus Bruti rarissimus, quem Clementi XIV. P. M., a nobis

(1) *Pag. XII. num. 2., & 3.*
(2) *Pisauri 1763. pag. 64.*
(3) *Epist. ad Attic. XX. Lib. XIV.*

bis numquam ſine ſumma doloris, & laudis ſignificatione commemorando, umillime obtulit eiuſdem Archiater honorarius longe clariſſimus Ianus Plancus Ariminenſis. Siquidem in anteriori eius parte Bruti *vulticulus*, & epigraphes BRVTVS. IMP. cernitur, in adverſa vero navalis victoriae trophaeum, & lemma CASCA. LONGVS. Nummus hic ſecundus uſque adhuc eſt, qui innotuerit poſt illum, quem ex Muſeo Principis Cenomani attulerat Vaillantius. Cuſus hic Nummus videtur Sexti Pompeii cura, XV. dies ante Bruti, & Caſſii internecionem, ob navalem victoriam, quam Pompeius ipſe contra Octavium, & Marcum Antonium retulerat, quaeque ſi illis Democratici imperii propugnatoribus innotuiſſet, forte ab ignava αὐτοφονίας temeritate ſe temperaſſent, neque tunc forte Romana libertas concidiſſet. Conſule quinetiam eius imaginem in Nummo argenteo apud Fulvium Urſinium (1) cum epigraphe BRVT. IMP., atque in altero item argenteo apud eumdem cum his litteris A. POSTVMIVS. COS., ſiquidem A. Poſtumius Albinus dictus eſt, tum & ALBINVS. BRVTI. F., ut in Nummis poſt adoptionem, qua in Poſtumiam ex Iunia gente proceſſit. Vide de hoc Nummo Epiſtolam noſtram in Ephemeridibus litterariis Florentinis anni CIƆIƆCCLXXIII (2).

TAB. EADEM.

FIG. II.

PTOLEMAEUS.



ABeſt omnis Antinoi ſpecies ab hac Protome, quam in ea deprehenderat Venutius. Nos vero Ptolemaeum potius inſcripſimus, non quod ullus ex hiſce Aegypti Regibus nobis innotuerit, ſed ut vulgo Antiquariorum quandoque adhaereamus, qui ab intortis capillis, quibus Ptolemaeorum capita in Nummis (3) ornata conſpiciuntur, etiam Signa, & Protomas, quas ſic conformatas intueantur, eorum nomine inſignire conſueverunt. Taenia inſuper, qua caput cingitur, diadematis regii locum tenet, ac de Ptolemaeo aliquo coniecturam confirmat. Vide, quae in ſuperiore Volumine ad huiuſmodi Statuam

(1) *Illuſtr. Imag. Tab. LXXXII., & CXVIII., Faber pag. 50., & 69. Vid. eumd. Urſin. de Famil. Roman. col. 743.*

(2) *Novelle Letterarie di Firenze 1773. num. 47.*

(3) *Illuſtr. Imag. apud Urſinium Tab. CXX., CXXI., & CXXII.*

tuam adnotavimus (1). Ptolemaei quinetiam Protome habetur inter ceteras Virorum illuſtrium, quibus ditatur Muſeum Capitolinum.

CLASSIS III.

QUAE CONTINET

IMPERATORES ET AUGUSTAS.



TAB. XIII.

FIG. I.

VALERIA MESSALINA.

Temporum ordo cogit nos a femina Auguſtorum ſeriem auſpicari, atque ab ea, quae pro Lyciſca haberi, & contrectari impudiciſſima mulierum facile annuerit. Fuit, ut nemo non novit, Barbati Meſſalae conſobrini ſui filia, & quinta Claudii uxor, quam dein in libidine cum C. Silio exercenda deprehenſam ſupplicio multavit. Diverſa eſt a Statilia Meſſalina tertia Neronis coniuge, ut ex eius rariſſima, ac ſingulari effigie in Graeco Nummo Aviolae apud Haymium (2) dignoſci etiam poterit. Meſſalinae Claudii rari ſunt etiam nummi, ſed qui tamen & apud laudatum Hymium (3), Vaillantium (4), alioſque occurrant, & ex quibus Protomes noſtrae vultus confirmari poſſit. Capitis ornatus elegans, utpote quae *nigrum crinem* gereret, teſte Iuvenale (5), quamquam ſaepe *flavo*, qui meretricius color erat, illum *abſcondente galero* incederet. Altera eiuſdem Protome habetur etiam in Muſeo Capitolino. Ipſius vultus quinetiam lineamenta aliqua nobis patere viſa ſunt in Statua Palliatae Feminae, ad quam nonnulla ſuperiore Volumine (6) adnotavimus.

(1) *Tab. XCVII. pag.* 97.
(2) *Muſ. Britannic. Part. II. Tab. XXIX. n.* 5. *p.* 244.
(3) *Loc. cit. Tab. XXVII. n.* 8. *pag.* 231.
(4) *Numm. antiq. To. I. pag.* 111.
(5) *Sat. IV. verſ.* 120.
(6) *Tab. CIII. pag.* 109.

TAB.

TAB. EADEM.

FIG. II.

CLAUDIUS DOMITIUS NERO.

IUvenili torva facie Nero ſe prodit in hac Protome, cui caput aeneum, & quae immortali Clementis XIV. τοῦ μακαρίτου beneficio inlata eſt in Vaticanum Muſeum; quod & a nobis antea alibi (1) nuntiatum fuerat. De Neronis forma, & corporis cultu vide, quae ſuperiore Volumine expoſuimus eiuſdem Statuam (2) illuſtrantes. Otio, & litteris abuteretur, qui actum ageret. Addimus tamen apud Ioh. Fabrium (3) haberi ex Gemma Fulvii Urſinii Neronis, & Iuliae uxoris capita. Duae eiuſdem Protomae inſuper habentur in Muſeo Capitolino, quarum una iuvenili vultu exprimitur.

TAB. XIV.

FIG. I.

M. SALVIUS OTHO.

ELegans haec Protome elegantiae vultus, & totius corporis, qua Otho Imp. praeditus erat, reſpondet. Hanc ſic graphice expreſſit Svetonius (4): *Munditiarum vero pene muliebrium, vulſo corpore, galericulo capiti propter raritatem capillorum adaptato, & annexo, ut nemo dignoſceret. Quin & faciem quotidie raſitare, & pane madido linere conſuetum; idque inſtituiſſe a prima lanugine, ne barbatus umquam eſſet*. Eius luxurioſam mollitiem carpit etiam Iuvenalis (5), dum ait:

Res memoranda novis annalibus, atque recenti
Hiſtoria, ſpeculum civilis ſarcina belli.
Nimirum ſummi ducis eſt occidere Galbam,
Et curare cutem ſummi conſtantia civis:
Bedriaci in campo ſpolium affectare Palatî,
Et preſſum in faciem digitis extendere panem,

Quod

(1) *Novelle Letterar. di Firenze* 1771. *n.* 52. *col.* 822.
(2) *Tab. LXXXII. pag.* 82.
(3) *Append. ad Illuſtr. Imag. litt.* N.
(4) *In eius Vita cap.* 12.
(5) *Sat. II. v.* 102.

Quod nec in Assyrio pharetrata Semiramis orbe,
Maesta nec Actiaca fecit Cleopatra carina.

Vides ergo in hac nostra Protome capillitium fictum, cui laurea corona superimposita est, carnes teneras, ac molles, tum vultum succi plenum, glabrum, totumque ad gratiam compositum. Hae venustatis lenocinia Venutio fucum fecerant, ut pro Othone nobis Elagabalum obiiceret. Caput, quod rarissimum censetur, Augusti huius nostri prostat etiam in Tablino Mediceo Florentino (1), & in Museo Capitolino.

TAB. EADEM.

FIG. II.

FLAVIUS VESPASIANUS.



ABest quam longissime haec Protome a Iulii Caesaris effigie, quam heic sibi finxerat Venutius; ac proinde nos potius Flavium Vespasianum heic haberi existimavimus. Certe Numismata speciei huic favere visa sunt. Accipe pauca ex Svetonio (2) de eius corporis habitu: *Statura fuit quadrata, compactis, firmisque membris, vultu veluti nitentis*. Fronte quinetiam usus est rugosa, oculis interius positis, naso aquilino, genis productis, tum facie vivacitatem spirante. In Museo Capitolino quinetiam habetur eius caput faberrime elaboratum, cuius thorax est ex Alabastrite.

TAB. XV.

FIG. I.

NERVA TRAIANUS ULPIUS.



OPtimum Principum Romanorum, Traianum Aug., habes in hac Protome, quem insalutatum reliquerat Venutius. Statuam eiusdem in Tomo superiore (3) adduximus, ubi ex Venutio illustrationem dedimus, & nos etiam aliqua de nostro adlevimus. Quid iuvat recoctam crambem reponere? Addere tamen liceat duas ex Museo Capitolino egregias Protomas, & singularem ex Gemma Achate Tra-

(1) *Ragguaglio delle antichità, e rarità, che si conservano nella Galleria di Firenze, Opera di Giuseppe Bianchi, Part. I. pag. 115.*

(2) *In eius Vita cap. 20.*

(3) *Tab. LXXXV. pag. 84.*

Traiani effigiem olim apud Equitem Corvinium, dein Romae in Museo Leonis Strozzae, quam aere caelatam adservamus.

TAB. EADEM.

FIG. II.

PLOTINA.

Plotina, cui Pompeae nomen praeposuit Aurelius Victor (1), Traiani optima coniux, viro suo subsequitur in hac Protome. Ut rara sunt huius Augustae Numismata, rarae sic etiam censendae sunt Protomae. Marcianam Traiani sororem nominaverat Venutius, neque nos eidem assentiri potuimus, omni Numismatum fide refragante. Protomen hanc nunc habet Museum Vaticanum beneficio optimi Pontificis Clementis XIV., quem nuper, bonis omnibus lamentantibus,

Ἔλλαβε πορφύρεος θάνατος, καὶ μοῖρα κραταιή (2),

Occupavit purpurea mors, & fatum violentum.

Alteram eiusdem Protomen habet Tablinum Mediceum Florentinum, tum etiam alteram nobilissima Gens Nicolinia (3), ac duas praeterea Museum ipsum Capitolinum adservat.

TAB. XVI.

FIG. I.

AELIUS HADRIANUS.

Hadriani nomine hanc Protomen salutamus, quod in ectypo eius species expressa fuerit, cum tamen incognita habeatur in marmore, cui figura haec respondet.

(1) *In Constantio.*
(2) *Homer. Iliad. V. vers.* 83.
(3) *Ragguaglio dell'antichità, e rarità, che si conservano nella Galleria di Firenze, Opera di Giuseppe Bianchi, Par. I. pag.* 118., *e* 119.

TAB.

TAB. EADEM.

FIG. II.

AELIUS HADRIANUS.

ET Protome, & ectypus Hadrianum heic referunt. De eius corporis habitudine habet Spartianus [1]: *Statura fuit procerus, forma comptus, flexo ad pectinem capillo*. Barbatorum Augustorum seriem Hadrianus inchoat; quandoquidem *promissa barba, ut vulnera, quae in facie naturalia erant, tegeret*, utebatur, ut testis est Spartianus ipse [2]. Ceterum Haymius [3] eius Nummum profert, quo imberbis apparet; sed de eo prudenter ita subdit: *Explicationem insignis huius Numismatis pleno iure eruditis relinquo; quod mearum partium erat, profiteor eum adcuratissime a me descriptum*. Siquidem de monumentis, quae aliquid adversus historiam statuant, prudentis est vel dubitare, vel aliorum iudicium poscere. Idem dicas de Nummo Neronis Musei Medicei, in quo barbatus conspicitur, teste Iosepho Blanchio [4], & cuius fide barbatos adstruere Imperatores, qui Hadrianum praecesserint, enititur.

TAB. XVII.

FIG. I.

AELIUS HADRIANUS.

TErtiam Hadriani Protomen exhibemus genis lanugine aspersis, & forma eleganti, qualem describit Spartianus. Heic aetate integra, & florenti expressum dixeris.

TAB. EADEM.

FIG. II.

AELIUS HADRIANUS.

HAdrianum provectiori aetate quarta haec Protome exhibet. Loricam gerit in pectore, in cuius medio Gorgonis caput; *quod munimentum*, teste Servio [5], *si in pectore numinis fuerit, aegis vocatur: si in pectore hominis, ut in antiquis Imperatorum Statuis vi-*

(1) *In eius vita.*

(2) *Loc. cit.*

(3) *Mus. Britann. Pars alter. edit. Vindobon. 1765. Tab. XXXII. n. 2. pag. 271., & 272.*

(4) *Ragguaglio delle antichità, e rarità, che si conservano nella Galleria di Firenze, Opera di Giuseppe Bianchi, Part. I. pag. 119.*

(5) *Aeneid. VIII. v. 435.*

videmus, *lorica dicitur*. Conſpicitur vero ipſis inſculpta, ait Fulgentius [1], *ut ſit terroris imago*, *ut vir ſapiens terrorem contra adverſarios geſtet in pectore*.

TAB. XVIII.

FIG. I.

AELIUS HADRIANUS.


Uintam Hadriani effigiem habes in hac Protome, in qua nihil adnotandum venit, quod vel ſcitu dignum ſit, vel quod non & ſuperius monuerimus.

TAB. EADEM.

FIG. II.


Um Hadriani nomen huic poſtremae eiuſdem Protomi imponendum Lector a nobis didicerit, qui & eius formam facile ex ſe deprehendat, cetera quidem a nobis minime exſpectabit. Verumtamen tres alias Hadriani Protomas cernere eidem licebit etiam in Muſeo Capitolino, quarum una, ſi caput excipias ex candido marmore, eſt ex orientali diaphano Alabaſtro, altera vero ad vetus Antium, teſte Ioſepho Rocco Vulpio [2], inventa fuit. Carneola, vultibus Hadriani, & Sabinae uxoris inſculpta, eſt apud Cl. Virum Andream Iohannettium Gregoriani Coenobii in Clivo Scauri Antiſtitem.

TAB. XIX.

FIG. I.

ANTINOUS.


E a more, qui obtinuit apud Antiquarios omnes, neque ab eo etiam, quem nos ſemel recepimus, diſcedamus, Antinous Hadriano, cuius fuerat delicium, nunc quoque ſuccedat. Eius effigiem vides in hac Protome, quae nulla eget illuſtratione, praeſertim ſi non pigeat ea repetere, quae in priore Volumine [3] exaravimus.

(1) *Mythol. II. 2.*

(2) *Vet. Lat. profan. To. III. Lib. IV. cap. III. Tab. V. pag. 58.*

(3) *Tab. LXXXVIII. pag. 87.*

mus. Heic tamen ceteris ibidem recitatis monumentis addemus Corneolam Graeci operis, ANTINOOC inſcriptam, quam geſtabat Guido Rhenius, quamque aere caelatam amicis exhibuit Horatius Orlandius Romanus anno CIↃIↃCCXLVI.

Tab. EADEM.

FIG. II.

M. ANTONINUS PIUS.



Uem Venutius Clodium Albinum dixerat, nos conſuetis innixi artis monumentis Antoninum Pium agnovimus. Protome ſatis elegans nullam a nobis exigit illuſtrationem, quaeque de Auguſto noſtro ſuperiore Volumine [1] a nobis dicta ſunt, eadem rurſus ingerendi otium nunc faciunt.

Tab. XX.

FIG I.

M. ANTONINUS PIUS.

SPectandam in hac Protome alteram Antonini Pii imaginem exhibemus, quae certe nihil cum Hadriano commune habet, ut viſum fuerat Venutio. De lorica, Gorgonis capite ornata, vide, quae ſuperius [2] innuimus.

Tab. EADEM.

FIG. II.

M. ANTONINUS PIUS.



Ertio conſpiciendus venit in hac Protome idem Antoninus Aug., cuius etiam pectus lorica anguicrinito capite horrida circumtegit.

(1) *Tab. LXXXIX. pag. 89.*

(2) *Ad Tab. XVII. Fig. II.*

TAB.

TAB. XXI.

FIG. I.

M. ANTONINUS PIUS.

POstremam tandem habes Antonini Pii effigiem, simplicem omnino, quae proinde nos facile ab omni silentii crimine liberat. Alteram Protomen videas etiam in Museo Capitolino.

TAB. EADEM.

FIG. II.

M. AURELIUS ANTONINUS.

PRima aetate heic exprimitur M. Aurelius Antoninus, facie nempe iuvenili, & genis imberbibus. Superiore Volumine (1) eiusdem colossale Signum adduximus, ad quod Lectorem amandamus, ubi & Venutii illustrationem, & additiones nostras offendet, & quae ad hanc Protomen explanandam opportuna esse possunt, etiam deprehendet.

TAB. XXII.

FIG. I.

M. AURELIUS ANTONINUS.

CApite praetexta induto, qui est sacrificantium, sive Pontificum maximorum habitus, heic habes M. Aurelium. De Augustorum sacerdotali praetexta consule, quae ad Caesaris Signum hoc ornamento insignitum exposuit Venutius (2), Protome haec, quam Venutius Antonino Pio temere accensuerat, nunc venit in manus Equitis Angli Hammiltonii veterum monumentorum studiosissimi.

(1) *Tab. XC. pag.* 90.

(2) *To. I. Tab. LXXIV. pag.* 74.

TAB.

TAB. EADEM.

FIG. II.

M. AURELIUS ANTONINUS.

HAec etiam Protome nobis M. Aurelium tertio exhibet, quamquam Venutius Pertinacem recte se deprehendiſſe cenſeret. Vides eius pectus horrida Gorgonis lorica armatum, quo munimine ſuperius etiam alios Auguſtos indutos innuimus [1].

TAB. XXIII.

FIG. I.

M. AURELIUS ANTONINUS.

POſtremo hoc M. Aurelii capite vides γεγράφθαι τὴν φωνὴν, *inſcriptum nempe eſſe ſermonem*, eamque primo etiam obtutu deprehendi ſimplicitatem, qualem ipſe in ceteris exoptabat [2]. In hac, ut & in ceteris eius Protomis conſpicua eſt implexa, & criſpa barba, quam cum Arnobio dixeris *plane philoſophicae denſitatis*. Quatuor eiuſdem Protomas habes etiam in Muſeo Capitolino.

TAB. EADEM.

FIG. II.

ANNIA FAUSTINA.

SUccedat M. Aurelio Annia Fauſtina, Auguſto Philoſopho indigna coniux perditae libidinis. Eius caput mitella ornatur, quod Auguſtarum oprimentum proprium nemo eſt, qui non noverit. De ea latius verba fecimus in ſuperiore Volumine [3]. Eius elegantiſſima Protome, Tibure reperta in Hortis Hadriani, adſervatur nunc in Muſeo Capitolino.

(1) *Tab. XVII. Fig. II., Tab. XX. Fig. I., & Fig. II.*

(2) *De Vita ſua Lib. XI.*

(3) *Tab. XCI. pag. 91.*

TAB.

TAB. XXIV.

FIG. I.

LUCIUS VERUS.



Aurelio ſocius in Imperio fuit Lucius Verus, qui in praeclara hac Protome conſpiciendus venit. Apparet, qualem Iulius Capitolinus (1) deſcripſit, habens nimirum *comam criſpa denſitate conſpicuam*, *vultum gemmatum*, *barbam prope barbarice demiſſam*, *frontem* tandem *in ſupercilia adductiorem*. Tum ibidem Capitolinus teſtatur, *capillorum tantam eum curam habuiſſe*, *ut capiti auri ramenta aſpergeret*, *quo magis coma illuminata flaveſceret*. Protome haec nunc adſervatur in Muſeo Vaticano illius providentia, quem nunc extinctum luget Eccleſia, & bonae Artes ipſae lamentantur.

TAB. EADEM.

FIG. II.

LUCIUS VERUS.



N altera Lucii Veri Protome, quam M. Aurelii bonus domitans Venutius inſcripſerat. Altera L. Veri Protome admodum elegans detecta eſt una cum praeclariſſimo Veneris Signo, quod Menophantus elaboravit, anno CIↃIↃCCLVIII. menſe Februario ad XV. circiter ab Urbe lapidem, in loco, qui *Marmorellae* vulgo audit, haud longe a Columnae Pago, ubi L. Veri Villam exſtitiſſe, putant eruditi, atque etiam ΑΛϹΟϹ. ΜΕΝ. ΜΟΥϹΑΙϹ. ΙΕΡΟΝ, *Nemus quidem Muſis ſacrum* ſitum fuiſſe, teſtis eſt Terminus truncato capite, cui Graeca Inſcriptio inſculpta, quae iam edita non ſemel, quamque nunc adſervat in ſua Codicum Mſs. Bibliotheca Franc. Xaverius Zelada S. R. E. Cardinalis ampliſſimus. L. Veri Protome ſane elegans habetur etiam in Muſeo Capitolino. Tum eius facie Carneolam faberrime inſculptam adducit Cauſeius (2) ex Card. Camilli Maximi Bibliotheca.

(1) *In eius Vita*.

(2) *Muſ. Rom. To. I. Tab. XXVII. pag. 19.*

TAB.

TAB. XXV.

FIG. I.

L. AURELIUS COMMODUS.

SUperiore Volumine (1) Signum adduximus, & ad Protomen Tablini Medicei provocavimus, quibus Commodus iuvenili aetate florens exhibetur. Nunc eius Protomen addimus, qua denuo tamquam Iuventutis Princeps conspiciatur. Tum etiam nunc monere praestat, in Museo Capitolino haberi huius Augusti elegantissimam Protomen item iuvenili aevo fulgentem, cui dumtaxat capillorum non satis accurata restauratio aliquid iniuriae intulit. Caput Graeci Athletae instar conformatum in nostra Matthaeiana Protome ipse habet, cui nempe gladiatorii ludi in deliciis essent, teste Herodiano (2). Signum vero praeclarissimum, quod ad Vaticanum prostans, dein sub Porticu ornatissima ante Museum ipsum excitata a Clemente XIV., in aevum celebrando Pontifice, receptum fuit, quodque ab Equite Paullo Alex. Maffeio (3) allatum, atque ab Andrea Scottio (4), aliisque laudatum, tamquam Commodi vultum exprimens, Herculis nomine potius salutandum censet Winckelmannius (5).

TAB. EADEM.

FIG. II.

L. AURELIUS COMMODUS.

COmmodum provectiori aetate in hac Protome conspicimus, quam tamen M. Aurelii nomine Venutius noster inscripserat. Nihil autem praeterea nobis adnotandum nunc superest, ceteris facile se cuique prodentibus.

(1) *Tab. XCII. pag.* 92.
(2) *Lib. I. cap.* 15.
(3) *Raccolta di Statue &c. Tav. V.*
(4) *Itiner. Ital. pag.* 411.
(5) *Monum. antichi inediti To. I. Tratt. prelimin. Cap. IV. pag. XCVIII., e seg.*

TAB. XXVI.

FIG I.

L. AURELIUS COMMODUS.

UNo adnotato Commodi nomine, quod huic Protomi tribuendum censemus, & altero Lucii Veri exploso, quod Venutius perperam adscripserat, omnia quidem, quae moneri a nobis poterant, facili negotio comprehendisse videmur. Ceterum deletis ex S. C. omnibus Commodi monumentis, haud vulgari in pretio eiusdem simulacra habenda nunc sunt. Si lubeat insuper Commodi faciem in Berillo, seu aqua marina, ut vulgo dicitur, egregie insculptam inspicere, consulatur Causeius [1].

TAB. EADEM.

FIG. II.

PUB. HELVIUS PERTINAX.

QUod tamquam ignotum caput Venutius dimiserat, nos ad Pertinacem facile amandamus. Apparet *senex venerabilis*, *immissa barba*, *reflexo capillo*, *habitudine corporis pinguiore*, *statura Imperatoria*, qualem describit Capitolinus [2]. Paucorum mensium Imperatoris rarissima sunt Numismata, hinc oppido rara & Signa, & Protomae. Aliam tamen habes in Tablino Mediceo Florentiae, teste Iosepho Blanchio [3]. Tum antiquae sculpturae Protome Pertinacem repraesentans aere caelata adducitur a Iosepho Rocco Vulpio [4], quae tunc exstabat Velitris in Aedibus gentis Borgiae Patriciae, quamque dein Stephanus Borgia Praesul eruditissimus dono dedit veterum monumentorum aestimatori, & conservatori benemerentissimo Clementi XIV. nuper fatis iniquis erepto, cuius tamen admiranda abstinentia, liberalitate, & publici boni, quo unice tangebatur, studio eadem in Vaticanum Museum a suo nomine Clementinum appellatum inlata est;

(1) *Mus. Rom. To. I. Tab. XXVIII. pag.* 20.
(2) *In eius vita.*
(3) *Ragguaglio delle antichità, e rarità, che si conservano nella Galleria Medicco-Imperiale di Firenze, Part. I. pag.* 139.
(4) *Vet. Lat. profan. To. IV. Cap. VI. Tab. VII. ad pag.* 78.

est; Quod nos iam in Ephemeridibus Florentinis anni superioris (1) monere non praetermisimus, aliam etiam Pertinacis Protomen ex Ulysse Aldrovandio (2) ibidem memorantes. Tandem alteram eiusdem Protomen cernere licet in Museo Capitolino adservatam.

TAB. XXVII.

FIG. I.

C. PESCENNIUS NIGER.

IN hac Protome non Pupienus, qualem dixerat Venutius, sed potius cernitur Pescennius Niger, τὴν μὲν ἡλικίαν ἤδη μετρίως προβεβηκὼς, *integra aetate iam modice exacta*, ut ait Herodianus (3), qualem exstitisse constat, cum ad imperium, quod vix degustavit, provectus est. Hinc rarissima eius Numismata, & cetera etiam monumenta. Ipsius autem Protome exstat insuper in Museo Capitolino, hac etiam de caussa plurimi aestimanda.

FIG. II.

DECIMUS CLODIUS SEPTIMIUS ALBINUS.

FAcies ἀνδρὸς..... τὴν ἡλικίαν ἔτι ἀκμάζοντος, *viri integra aetate adhuc vigentis*, ut erat Clodius Albinus, teste Herodiano (4), cum ipsum absentem imperii socium Septimius Severus adscivit, in hac Protome conspicitur. Ea certe aliquantisper cum eius lineamentis, quae Numismata praeferunt, convenire videtur. Certe Septimius Severus ipse praeter Numismata eius vultu signata etiam ἀνδριάντων ἀναστάσεσι, *statuarum erectione*, ex eiusdem Herodiani (5) fide, ipsum honoravit. Eius Protome habetur etiam in Museo Capitolino, quae tamen iuvenili aetate floret, ut proinde elaborata videatur nonnullis ante imperium annis ob aliquod egregie factum, quo sibi aliquem ex retro Principibus demeruerit.

(1) *Novelle Letterarie di Firenze* 1773. *num.* 34. *col.* 531.
(2) *Delle Statue antiche, che per tutta Roma, in diversi luoghi, e case si veggono; Venezia* 1562. *pag.* 171.
(3) *Lib. II. cap. VII.*
(4) *Lib. II. cap. XV.*
(5) *Ibid.*

TAB.

TAB. XXVIII.

FIG. I.

SEPTIMIUS SEVERUS.

Septimium Severum in hoc Protome facile agnovimus, Numiſmatum fide accedente. Aliquid barbari, quod ex Africa, unde ortus, attulerit, & trucis, ac ſubdoli quinetiam, quod in eo culpant Hiſtorici, praeſeferre videtur. Barbam autem, iuxta ſuorum temporum morem, intortam, & horridam habet, tum aegidem in pectore gerit. Tres eiuſdem Protomas habet Muſeum Capitolinum, quarum praeſtantiſſima, quae ex Alabaſtrite orientali pellucida eſt, quaeque iam prodiit ex novis fundamentis Templi, quod ſacris Divi Franciſci Aſſiſinatis ſtigmatibus dicatum eſt. Altera ad Antii portum eruta eſt, teſte Vulpio (1), qui aere caelatam dedit. Tablinum Mediceum (2) quinetiam alteram Septimii Severi Protomen adſervat. Carneola eius effigiem referens adducta eſt ab Henrico Brulaeio ex Muſeo Odeſcalcho (3), tum Amethyſtus & eius, & filiorum vultus exprimens ibidem (4) cernitur, qui convenit fere cum aureo ſingulari Numiſmate florentis huius Domus Auguſtae capita omnia praeferente, quod Ioh. Franc. Baldinius inter Antiquarios ſatis notus in Romana Appendice ad Vaillantii opus exhibuit (5).

TAB. EADEM.

FIG. II.

SEPTIMIUS SEVERUS.

Pupienum caligans oculis Venutius heic haberi putavit, dum nos Septimium Severum potius expreſſum haberi deprehendimus, de quo nihil eſt, quod inſuper adnotemus.

(1) *Vet. Lat. profan. To. III. Lib. IV. cap. III. Tab. VI. pag.* 58.

(2) *Ragguaglio delle antichità, e rarità, che ſi conſervano nella Galleria Mediceo-Imperiale di Firenze, Par. I., Opera di Giuſeppe Bianchi, p.* 140.

(3) *To. I. Tab. XXXVI. pag.* 45.

(4) *Ibid. Tab. XXXVII. pag.* 46.

(5) *To. II. pag.* 215.

TAB.

TAB. XXIX.

FIG. I.

SEPTIMIUS SEVERUS.



Horace armatus tertium exhibetur Septimius Severus, cui barba adſtat horridior, & facies craſſior. Ceterum oris lineamenta videas accurate expreſſa.

TAB. EADEM.

FIG. II.

SEPTIMIUS SEVERUS.



Ecentis ſcalpri opus hanc Protomen quiſque cenſeat, qui ipſam in marmore expendat. Artifex certe ſibi praeſentem ſtatuit Severi vultum, quem effingeret.

TAB. XXX.

FIG. I.

SEPTIMIUS SEVERUS.



Oſtremam intuere Severi imaginem in hac Protome expreſſam, quae ceteris accuratior, & elegantior, pro temporum, & artium collabentium conditione.

TAB. EADEM.

FIG. II.

M. AUR. BASSIANUS ANTONINUS CARACALLA.



Uperiore Volumine (1) Caracallae adhuc in iuvenili aetate conſtituti Signum adduximus, cui ſimilem Protomen nunc addimus, quam perperam Venutius Commodo attribuerat. Heic pectus lorica, anguicrinito capite terribili, armatum conſpicitur, quod ſuperius non

(1) *Tab. XCIV. pag. 94.*

non ſemel advertimus [1] . Multa alia Caracallae monumenta laudato loco innuere curae fuit; Quare nunc nihil aliud reliquum eſt, quam ut moneamus, non infimae notae caelo inſculptam Protomen, in agro Peruſino inventam, quae Caracallam repraeſentat, adſervari nunc apud egregium Praeſulem Franciſcum Carrarium Bergomatem alterum in Curia Innocentiana Iudicem, ut per eam conſultiſſimi Papiniani ſui, quem immanis Auguſtus ſecuri obtruncandum mandavit, iuſtitia, & aequitas nullo fracta terrore, ac nullo aulae, vel partium ſtudio abrepta perpetuo ſibi ad imitandum ante oculos obverſaretur.

TAB. XXXI.

FIG. I.

C. VIBIUS TREBONIANUS GALLUS.

AEnea haec Protome, quae Trebonianum Gallum laurea corona ornatum nobis obiicit, migravit in Muſeum Vaticanum (quod alibi [2] etiam nos prodidimus) laudato toties beneficio praeglorioſiſſimi Pontificis Clementis XIV., cuius memoriam praeclara eius benefacta in Eccleſiam, in litteras, & in bonas artes immortalitati, cui ſacerrumae ultricium, impiarumque ignominiarum chartae nil umquam officiant, commendabunt. De Auguſto nihil eſt, quod dicam, cum eius & Numiſmata, & notiones omnibus facile pateant.

TAB. EADEM.

FIG. II.

M. CLAUDIUS TACITUS.

SI quo nomine Protome haec donanda eſt, non aliud certe eidem tribuendum venit, quam nomen M. Claudii Taciti, cuius faciem quoquomodo repraeſentat. Thorace militari eius pectus armatum cernitur, qui nimirum Scythas debellavit. Cetera, quae ad eum pertinent, noſtra non indigent commemoratione. Addimus tamen, ſingularem, & elegantem eius Protomen in agro Romano quinque ab

heinc

(1) *Tab. XVII. Fig. II., Tab. XX. Fig. I., & Fig. II., tum Tab. XXII. Fig. II.*

(2) *Novelle Letterarie di Firenze 1771. n. 52. col. 822.*

heinc annis effossam adservari in Coenobio Alexiano ad Aventinum a Cl. Viro Felice M. Nerinio Hieronymianae Familiae amplissimo Antistite, quem honoris caussa nominamus.

CLASSIS IV.

QUAE CONTINET

IMPERATORES GERMANICOS.



TAB. XXXII.

FIG. I.

MAXIMILIANUS I.

FUit Maximilianus filius Friderici III. Austriae Ducis, & in imperium patri successit anno Christi cIↃcccc XCIV. De eo quid plura commemorem, quae quis ex millibus petat historiarum Voluminibus?

TAB. EADEM.

FIG. II.

CAROLUS V.

CAesar longe potentissimus fuit Carolus V., Philippi Hispaniarum Regis filius, qui ad imperium assumptus est anno cIↃIↃXIX. Romani eius direptionis memoriam adhuc infixam animo habent, ipseque notior, quam qui alius.

TAB. XXXIII.

FIG. I.

RUDULPHUS II.

HIc Maximiliani II. filius paterna regna, & imperium capessivit anno cIↃIↃLXXVI., qui iam patri successor in Comitiis Ratisbonensibus superiore anno renunciatus fuerat.

TAB.

TAB. EADEM.

FIG. II.

FERDINANDUS III.

Ferdinandi II. filius fuit hic noster, qui III. nomen tulit, patrique successit anno CIƆIƆCXXXVII. Huius, & superiorum etiam Imperatorum icones habes apud Hergottium in splendididissimis *Monumentis Habsburgicis* (1).

CLASSIS V.

QUAE CONTINET

CAPITA INCOGNITA.



TAB. XXXIV.

FIG. I.

CAPITA INCOGNITA VULGO ARIA ET PAETUS SIVE PORTIA ET BRUTUS.

Capita haec, quae verius incognita dixeris, quam vel Ariae, & Paeti, vel Portiae, & Bruti inscripseris, ut Antiquariorum vulgus censuit, exstant nunc in Museo Vaticano providentia Sanctissimi Pontificis Clementis XIV., cuius ὄσσε κελαινὴ νὺξ ἐκάλυψε, *oculos nigra nox obtexit* (2), magno tum litterarum tum publicae felicitatis detrimento. Alterum sane monumentum, Ariae, & Paeti nomine insignitum exstat in Hortis Ludovisiis, quod a Paullo Alexand. Maffeio adductum est (3), licet ab ipso censeatur Menophilus Mithridatis Regis Ponti Eunuchus, qui sibi ipsi, & Directinae Regis filiae graviter aegrotanti mortem conscivit (4). Sed genitalia exstantia, & μύστακες facile Maffeii sententiam falsitatis arguunt. Tum Iacobus Gronovius (5) Macareum Aeoli filium, & Canacem sororem, & coniugem, qui sibi ipsis

(1) *To. II. Part. I.*

(2) *Homer. Iliad. V. vers.* 310.

(3) *Raccolta di Statue Tav.* 60., *e* 61. *pag.* 54.

(4) *Ammian. Marcell. Lib. XVI.*

(5) *Thes. Antiq. Graec. To. III. Tab. XXX.*

psis manus intulerunt, existimavit (1). Vide & Winckelmannium de hoc monumento differentem (2), ex quo hanc historiam, qualem Plinius Iun., & Tacitus referunt, qui ignoret, petere possit. Si vero non Ariam, & Paetum, sed Portiam, & Catonem haberi quis velit in Matthaeiano monumento, eorum historiam a Valerio Maximo (3), & a Martiale (4) accipiat, quam etiam Richardius Gallus de hoc monumento loquutus in suo Italico Itinere (5) fuse descripsit.

TAB. EADEM.

FIG. II.

PHILOSOPHUS INCOGNITUS.



NUllum ex Augustis in hac Protome agnoscentes, & barbae argumento adducti Philosophum, cuius nulla certa facies, & incompertum nomen est, facile adscivimus.

TAB. XXXV.

FIG. I.

INCOGNITUS.



VIrili facie, quae tamen florentem aetatem simul praeferat, tum & artuum robore praestat nudus plane Heros, quem truncatis brachiis in hac Protome conspicimus.

TAB. EADEM.

FIG. II.

MILES INCOGNITUS.



CAput galea opertum Militem nobis obiicit. Bucculae ad latus, & ad malas utrasque, tum vincula, sive lora, quae Suidas ὀχᾶς vocat, ab imis galeae bucculis exstant, quibus ad guttur galea stringatur, atque firmetur. De his Lipsium (6) consule scripto-

(1) *Hygin. Fab.* 242., & 243.
(2) *Monumenti antichi inediti To. I. Trattat. prelimin. Cap. IV. pag. XCII., e XCIII.*
(3) *Lib. III. Cap. II., & Lib. IV. cap. VI.*
(4) *Epigr. XLIII. Lib. I.*
(5) *Description historique, & critique de l'Italie par M. l'Abbé Richard. A Dijon* 1766. *To. VI. Part. II. Cap.* 17. *pag.* 169.
(6) *De Militia Romana Lib. III. Dialog. V. pag.* 123.

ptorum loca varia afferentem. Galeas haud clauſas, nec vultui appreſſas undique veteribus fuiſſe, ipſe contendit, eique ὁμόφρωνες ſunt Adnotatores ad Silium Italicum [1]; quorum quidem ſententiae & huius noſtrae forma facile ſuffragatur. Ceterum clauſas quinetiam exſtitiſſe veteribus galeas, docent, quae ad Pompeianum detectae ſunt, quaeque undique occluſae habentur, ut nobis fidem faciunt Herculanenſes Academici [2], qui inſuper earum formas aere caelatas ſe deinceps exhibituros recipiunt. Pectus lorica armatur, in qua & Gorgonis caput conſpicuum eſt, quod ſuperius pluries in Auguſtorum Protomis adnotavimus.

TAB. XXXVI.

FIG. I.

INCOGNITUS.

SEnili facie, & breviori barba vir ſane incognitus ſe prodit in hac Protome, de qua plura dicere nec praeſtat, nec licet, nullis accedentibus, quae illuſtrentur, ornamentis.

TAB. EADEM.

FIG. II.

INCOGNITUS.

INtegra aetate, tum facie, quae ſquallorem, ac ſaevitiem quamdam ſimul praeferat, vir nobis in hac Protome conſpiciendus, at nullo a nobis nomine ſalutandus obvenit.

TAB. XXXVII.

FIG. I.

MULIER INCOGNITA.

LUcillam M. Aurelii, & Fauſtinae filiam, ac L. Veri uxorem in hac Protome videre ſibi viſus Venutius, ſed omnibus eius lineamentis deficientibus, nec ceteris, quae nota ſint, ſe exerentibus, inter ignota capita collocavimus, praeſertim cum caput ipſum recenti ſcalpro fuerit elaboratum.

TAB.

(1) *Lib. XIV. v. 636.*

(2) *Bronzi del Muſeo d' Ercolano To. I. pag. 252. not. 2.*

Tab. EADEM.

FIG. II.

MULIER INCOGNITA.

IUlia ex Emeſa Phoeniciae urbe, quae in Nummis Pia dicta eſt, quaeque fuit altera Septimii Severi uxor, Venutio apparuit in hac Protome, cuius faciem quidem nos haud deprehendentes tamquam incognitam feminam potius habuimus.

CLASSIS VI.

QUAE CONTINET

HERMAS SEU TERMINOS.



Tab. XXXVIII.

FIG. I.

PLATO.

A Platone, quem adeo ſuſpexit, & venerata eſt antiquitas, & cui aram, & ſtatuam dicavit Ariſtoteles, quemque Graeco Epigrammate ſolum eſſe dixit, qui vita, doctrina, moribus, & eloquentia polleret, Hermarum noſtrorum Claſſem auſpicabimur. Quinque Platonis capita, non autem novem, ut aſſeruerat Ioh. Chryſoſtomus Scarfò (1), exſtant in Muſeo Capitolino; niſi cum Cl. Viro Iohanne Bottario omnium elegantiarum cultore (2) ad Iovem Terminalem potius lubeat ſingula amandare, ſuſpicionem hanc facile ingerentibus ſphalmatis, quae in nominis ſcalptura deprehenduntur, quaeque novitatis indicia haberi poſſunt. Eiuſdem Herma quinetiam adducitur a Bellorio (3), & dein a Gronovio (4), qui nomen inſculptum gerit. Eius faciem praeferentes vulgo etiam cenſentur Hermae alii, qui ha-

(1) *In Collectanea Antiquitatum Romanarum, quas centum tabulis aeneis inciſas, & a Rodulphino Venuti &c. notis illuſtratas exhibet Antonius Borioni, Obſervationes Criticae. Venetiis 1739. Obſerv. VII. in num. XI. pag. 10.*

(2) *Muſ. Capitol. To. I. pag. 19., & 20.*

(3) *Imag. Illuſtr. Viror. Part. 1. num. 27.*

(4) *Antiq. Graec. To. II. num. 83.*

habentur in Villis Medicea, Ludovisia, Perettia, & Albania, in qua XX., & amplius cernere licet. Addimus tandem aeneam Protomen Herculanensem, quam Platonis effigie donatam coniecerunt Herculanenses Academici (1) ex Gemma, quam Caninius (2), ex altera, quam Causeius (3), & ex tertia, quam Gorius (4) attulerunt, quae inter se multa cohaerent similitudine. Dissimilis vero paullulum est imago, quam ex Gemma dedit Fabrius (5), & ea, quae in Wetsteniana Laertii editione habetur; ut diversae omnino sunt etiam marmoreae imagines Capitolini Musei, quas superius innuimus, tum quae a Begerio insuper adducta est (6). Sed ut ad Gemmas redeamus, Platonis nomine insignitam Gemmam habes dumtaxat apud Ursinium, sive apud Fabrium, (7), tum & apud Bellorium, quae cum Protome Herculanensi quinetiam similitudine coniungitur. Gemmam tandem adfert Cl. Winckelmannius (8), in qua ex eius sententia caput Platonis cum nostro quidem apprime conveniens cernitur, quandoquidem papilionis alis instructum est ad aures prodeuntibus, quibus primi de animae immortalitate Platonis, qui prodierint, libri designentur (9). Nec aliter forte expressa Platonis animae icon, quam eiusdem epitaphium a Laertio (10) citatum innuit:

Ψυχῆς εἰμὶ Πλάτωνος ἀποπταμένης εἰς ὄλυμπον
Εἰκών.

Animae sum Platonis sublatae in Caelum
Effigies.

Altera insuper Platonis effigies a Winckelmannio (11) censetur, quae expressa est in Gemma factitia Stoschiana, in qua Philosophus sedens, manibus volumen tenens, in eo defixus, & ad pedes positum humanum caput ἄσαρκος, cui papilio superstat, contemplans cernitur, ut quales ipse veros Philosophos esse cupiebat (12), talem etiam de morte cogitantem eumdem artifex exprimeret. Neque Gemmae Platonis effigiem praeferentes infrequentes esse possunt, cum eas annulis inclusas gestarent Academici, teste Divo Epiphanio (13); rara autem sunt, quae nomen etiam exhibeant. Nec defuerunt eidem Statuae, quarum unam (praeter

(1) *Bronzi del Museo d'Ercolano To. I. Tav. XXVII. pag.* 103.
(2) *Iconografia, Tav. XLVIII. pag.* 79.
(3) *Mus. Roman. To. I. Tab. XVII. pag.* 14., *& seq.*
(4) *Mus. Florent. To. I. Class. III. Tab. CXII. n.* 2.
(5) *Illustr. Imag. &c. Antuerp.* 1606. *n.* 112.
(6) *Mus. Brandeburg. To. III. pag.* 322.
(7) *Loc. cit. num.* 28.
(8) *Monumenti antichi inediti To. I. n.* 169., *e To. II. Part. III. Cap. VII. §. I. pag.* 226.
(9) *Athen. Dipnosoph. Lib. II. pag.* 507.
(10) *In Vita Platon. Lib. III.*
(11) *Loc. cit. num.* 170., *& §. II.*
(12) *Plato Gorg. pag.* 320.
(13) *Haeres.* 27.

ter illam, quam superius ab Aristotele dicatam diximus) collocatam voluit (1) Mithridates Persa in Academia, ita inscriptam: ΜΙΘΡΙΔΑΤΗΣ. Ο. ΡΟΔΟΒΑΤΟΥ. ΠΕΡΣΗΣ. ΜΟΥΣΑΙΣ. ΕΙΚΟΝΑ. ΑΝΕΘΗΚΕ. ΠΛΑΤΩΝΟΣ. ΗΝ. ΣΙΛΑΝΙΩΝ. ΕΠΟΙΗΣΕ. *Mithridates Rhodobati filius Perses Musis imaginem Platonis dicavit, Silanionis opus*. Platonis imaginem quinetiam, in ipsis Academiae ruinis repertam, quam Hieronymus Roscius Pistoriensis obtinuerat, Laurentius Mediceus, restauratae a Marsilio Ficino Platonicae Academiae patronus, comparavit, & summa in veneratione habuit, teste Nicolao Valorio in Laur. Medicei vita, quae dein in Goriani Musei distractione, ubi adservabatur, a Cl. Thoma Perellio Astronomiae in Pisana Academia Professore empta fuit, teste eruditissimo viro Angelo M. Bandinio in suis ad Iohannis Corsii Commentarium de Vita Marsilii Ficini adnotationibus (2). Numisma tandem etiam circumfertur Platonis, & Augusti facie signatum, quod habes apud Sponium (3), & apud Patinium (4); at facies cum recensitis usque dum monumentis non convenit, etsi tamen conveniant omnia in retorta fasciola, quae vel unica, vel duplici circuitione caput cingit, & crines, de qua videndus Cl. Bottarius (5), & eruditissimi Herculanenses Academici (6). Sed ut nihil, quod ad Hermam nostrum pertinet, intactum relinquatur, monebimus postremo, ipsum a citato Scarfò Basiliano Monacho laudari (7), tum in eo caput Platonis comatum, & barbatum exhiberi, quemadmodum illud habuisse docet Aelianus referens primam inter Platonem, & Aristotelem dissensionem ex barba, & capillis profectam, cum Aristoteles contra Platonis institutum radi, & tonderi consueverit.

(1) *Diogen. Laert. in vit. Platon. Lib. III.*
(2) *Pisis* 1771. *apud Augustin. Pizzorno, pag.* 53. *adnot.* 41.
(3) *Miscellan. Erud. Antiq. pag.* 140.
(4) *In To. IX. Antiq. Graec. Gronovii pag.* 1589.
(5) *Loc. cit.*
(6) *Loc. cit. adnot.* 3.
(7) *Loc. cit.*

TAB.

TAB. EADEM.

FIG. II.

HERACLITUS.

Heraclitum heic agnoſcunt Antiquarii, quos ſequi non piget, nihil habentes, quod contra obiiciamus. Notior hic eſt, quam quilibet alius; qui nempe σκοτεινὸς *obſcurus*, & arcanae ſcriptionis ſtudioſus audiverit apud Clementem Alexandrinum (1), Strabonem (2), Ciceronem (3), & Senecam (4), & a Lucretio (5) dictus fuerit *clarus ob obſcuram linguam*. Ignem rerum omnium principium ſtatuit, librumque *de natura* elucubravit, quem in templo Dianae Epheſiae poſuit, quo labente tempore detectus quid myſterioſum portenderet. Nil famigeratius eius lugendi conſuetudine, cui tamen adverſantur Herculanenſes Academici (6) argumentis innixi, quae tum ex Laertii ſilentio, tum ex eius natura ad ſuperbiam, & contemptum compoſita facile derivant. Marmor Magni Ducis Etruriae Heracliti nomine inſcriptum, ſed ἀκέφαλος, memoratur ab Urſinio, quod dein fictitio capite donatum exhibuit Bellorius (7), Fabrius (8), & Gronovius (9), tum etiam habet editio Laertii Wetſteniana. In Muſeo Capitolino exſtant praeterea duo marmora, nomine carentia, ſed quae tamen Heraclito tribuere conſueverunt, quod cum ſuppoſititio capite Tablini Medicei conveniant (10). Ad haec converſi inſuper Herculanenſes Academici aeneam Protomen, quae anonyma eſt, Heraclito, licet dubioſe admodum tribuunt (11). Alteram quoque ipſius imaginem ex Gemma attulerant iam Auguſtinius, & Maffeius (12), in cuius antica parte Heraclitum, in poſtica Democritum, nulla licet epigraphe accedente, exhiberi contendunt. Anonymam tandem Gemmam ad ipſum refert etiam, tum & adducit Begerius (13).

(1) *Stromat. V. pag.* 171.
(2) *Geograph. Lib. XIV. pag.* 642.
(3) *Lib. II. de Finib.*
(4) *Epiſt. XII.*
(5) *De rer. nat. Lib. I. v.* 640.
(6) *De' Bronzi d'Ercolano To. I. pag.* 114. *not.* 5.
(7) *Imag. Illuſtr. Vir. Part. I. n.* 17.
(8) *Illuſtr. Imag. num.* 65.
(9) *Antiq. Graec. To. II. n.* 56.
(10) *Muſ. Capitol. To. I. num.* 12.
(11) *Loc. cit. Tab. XXXI. pag.* 115.
(12) *Gemm. ant. To. I. num.* 55., *e* 56.
(13) *Theſaur. Brandeburg. To. I. pag.* 113.

TAB.

TAB. XXXIX.

FIG. I.

A R I S T O T E L E S.



D Ariſtotelem hunc Hermam amandavit Venutius, cui etſi nec aſſentiri, nec obſiſtere audeamus, tamen ex eius ore Ariſtotelem libenter ſalutamus, ne omnino mutuli haereamus. Iam Ariſtotelis imago innotuerat ex marmore, quod e Fulvii Urſinii Bibliotheca (1) petitum, poſt Fabrium (2), & Bellorium (3), edidit Gronovius (4). Haec ipſa marmorea Protome nunc proſtat in Muſeo Capitolino. Aliam habet eiuſdem nomine inſcriptam Tablinum Vaticanum, quae in Hortis M. Aurelii ad Lateranum una cum aliis Socratis, Platonis, Pittaci, ac ceterorum reperta eſt. Eiuſdem effigiem habes poſtremo, ſi Gorii (5) fide nitaris, in Iaſpide, ubi aetate valde provecta, brevi capillitio, mento, & genis raſis, parvis oculis, & naſo quaſi aquilino exprimitur. Ariſtoteles quidem, ut aliquam ipſius deſignationem afferamus, ἰσχνοσκελὴς ἦν, καὶ μικρόμματος. ἐσθῆτίτε ἐπισήμῳ χρώμενος, καὶ δακτυλίοις, καὶ κουρᾷ, *exilibus ſcilicet cruribus erat, parviſque oculis, veſte inſigni, & anulis, ac tonſura utens*; quemadmodum Laertius tradidit (6).

TAB. EADEM.

FIG. II.

B A C C H U S.



Riſtoteli coniunctum Sculptor nobis Bacchum nunc ſtatuit, qualem nempe Venutius agnovit. Certe oris venuſtas, iuventa, & crinium concinnitas eidem probe convenit. Abeſt pampineus ornatus, qui quidem in Herma altero Capitolino, ceteriſque eiuſdem Signis ut plurimum occurrit.

(1) *Illuſtr. Imag. num.* 35.
(2) *Imag. Vir. illuſtr. pag.* 20.
(3) *Imag. Illuſtr. Philoſ. num.* 7.
(4) *Antiq. Graec. To. II. pag.* 90.
(5) *Muſ. Florent. Vol. I. Claſſ. III. Tab. XLII. n.* 8. *pag.* 93.
(6) *Lib. V. in eius vita.*

TAB. EADEM.

FIG. II.

ARISTOMACHUS.

Bellorius (1), & Maffeius (2) sculpturam, quae Aristomachum refert, adduxerunt, quae quidem in caussa fuit, cur & Aristomachus in Protome Capitolina agnosceretur. Utraque Venutio dein facile suasit, ut Hermam hunc nostrum, quadam similitudine duce, eius nomine insigniret. Fides sit apud ipsum.

TAB. XLII.

FIG. I.

ANACREON.

IN Museo Capitolino nostro huic similis Herma habetur, qui Anacreontis nomine censetur, quod conveniat cum aeneo Numismate, quod Bellorius (3), & Fabrius (4), dein post ipsos Gronovius (5) adduxit, in quo Graecum nomen etiam cernitur. Nummus alter a Ioh. Angelo Caninio (6) refertur, & ex eo a Gronovio ipso (7), quod tamen nihil commune habet cum superiore quoad assimilationem, & in quo TEIOC legitur, & caput iuvenile conspicitur taenia coronatum, quod Poetis solemne fuit; tum aversa parte Neptunus habetur dextera manu hastam, sinistra delphinum tenens, & simul ΤΙΑΝΩΝ legitur, ut ab his nempe in ipsius honorem cusus Nummus videatur. Gronovius tamen in ea fuit sententia, ut in Nummo Caniniano Bathyllus Anacreontis ἐρώμενος potius exprimeretur, quod ille crinium ornatus heic se prodat, qualem Anacreon Pictori fingendum praecipit Ode XXIX. Onychem, quam Anacreontis facie insculptam censuit, ex Leonardo Augustinio protulit Maffeius Eques (8), atque alteram similem exhibuit Gorius (9) ex Museo Mediceo Florentino, ubi caput senile laurea corona redimitur, & capilli non in orbem, sed retro dispositi sunt. Pau-

(1) *Illustr. Poetar. Imag. Part. II. num. 63.*
(2) *Gemm. antic. Part. I. num. 50.*
(3) *Imag. Illustr. Vir. Part. II. num. 43.*
(4) *Comment. in Imag. Illustr. num. 11.*
(5) *Thes. Antiq. Graec. To. II. num. 2. pag. 41.*
(6) *Iconografia, Tav. VI. pag. 15.*
(7) *Loc. cit. num. 1.*
(8) *Gemm. antic. Par. I. num. 69. pag. 82.*
(9) *Mus. Florent. Vol. I. Class. III. Tab. XLI. n. 12. pag. 90.*

Pausanias (1) Anacreontis Statuam prope alteram Xanthippi positam memorat. Nonnullis insuper Graecae Anthologiae Epigrammatibus (2) Statua innuitur Anacreonti posita, ad cuius pedem alterum calceus desideraretur, quasi ex ebrietate illum praeterisset. Anacreontis imaginem consule, si lubet, in eiusdem Odarum editione, quam Cantabrigiae Iosue Barnesius adornavit.

TAB. EADEM.

FIG. II.

PINDARUS.

CUm Capitolinis Hermis duobus noster conlatus Pindarum se salutari expostulat. Illis vero Pindari nomine donari licuit, accedente vultuum similitudine cum eo, qui Pindari Graeco nomine insculptus in Aedibus Iustinianiis Romae habetur, quique a Caninio, quem supra laudavimus, adductus est (3), tum etiam a Gronovio (4) relatus, ac tandem denuo appositus ad frontem primi Voluminis Italicae versionis Pindari Odarum (5), quam metrice elaboravit Ioh. Baptista Gautierius in Romanae Sapientiae Archigymnasio Graecarum litterarum Professor eruditissimus, cui rude donato nos immortali, ac spontaneo beneficio Clementis XIV. P. M. suffecti fuimus. Apud Ursinium (6) habetur Statua acephala, in cuius basi ΠΙΝΔΑΡΟϹ legitur. Pindari imaginem deprehendisse sibi visus est insuper Gorius in Iaspide rubro, quem ipse adduxit (7). Aeschines (8) a Paschalio (9) laudatus, Athenis ante regiam porticum Statuam exstitisse tradit, qua Pindarus sedens, manu lyram tenens, ac diademate in capite redimitus exprimebatur, quaeque ea forte fuit, quam eidem collocasse Athenienses, quod eos carminibus celebrasset, scribit Pausanias (10).

(1) *In Attic.*
(2) *Anthol. Lib. IV. c. 37. pag. 367., Lib. XXI. c. 31. pag. 368.*
(3) *Iconografia, Tav. XXVIII. pag. 54.*
(4) *Cit. To. II. pag. 60.*
(5) *In Roma nella Stamperia del Komarek 1762.*
(6) *Illustr. Imagin. num. 110.*
(7) *Mus. Florent. To. I. Class. III. Tab. XLIII. n. 4. pag. 96.*
(8) *Epist. IV.*
(9) *Lib. IX. cap. 7.*
(10) *In Attic. cap. 8.*

TAB. XLIII.

FIG. I.

EURIPIDES.

Euripidis nomen Hermae huic acceſſit, quod Venutio viſus ſit ſimilitudine certare cum Protome Muſei Capitolini, quae reperta in Fodinis ſulphureis Tiburis, ſi ferro, vel alia ratione tundatur, ſulphuris odorem exhalat. Haec etiam facile convenit cum altera Muſei Medicei, quam protulit Urſinius (1), quaeque editioni eius Tragoediarum, quam Wilhermus Pierſius adornavit, praefixa eſt. Hanc, treſque alias Euripidis imagines adduxit Gronovius (2), qui ex Urſinio (3), Bellorio (4), Gallaeio (5), & Gevartio petivit. Harum una etiam Barneſianae editionis fronti antecedit. Ceterum de hiſce omnibus vide differentem Cl. Virum Ioh. Bottarium in Muſeo Capitolino (6). Adeſt quinetiam in Villa Albania imaguncula marmorea, quae Euripidem ſedentem exhibet, tum dextra manu larvam tragicam tenentem, thyrſumque ſiniſtra, inſcripto ad baſim lemmate ΕΥΡΙΠΙΔΗΣ. Hanc edidit Winckelmannius (7) una cum eius Tragoediarum elencho vetuſtiſſimo, qui marmori inſculptus eſt. Verumtamen hunc antea ediderat omnium primus Franciſcus Ficoronius (8); tum Nicolaus Galeottius (9), atque Ludovic. Anton. Muratorius (10) ipſum denuo protulerant. Eius meminit quinetiam Antonius Franc. Gorius in eius Auctario ad Dominici Georgii Diſceptationem *de Locatoribus Scenicorum* (11). Sed cum nec emendate, nec integre omnino elenchus iſte adhuc haberetur, recuſus tandem a nobis eſt & accuratior, & plenior in Tomo VII. Miſcellaneorum Lucenſium (12), ubi & XXVI. Tragoediarum titulos, qui ex Ficoronio, Galeottio, & Muratorio foede innotuerant, produximus, & inſuper alios XI., qui ipſos latuerant, addidimus, quos etiam dein Winckelmannius ipſe aere expreſſos repoſuit, ut ſuperius innuimus.

TAB.

(1) *Imagin. Illuſtr. Vir. Part. II. n.* 27.
(2) *Loc. cit. To. II. pag.* 63.
(3) *Loc. cit.*
(4) *Imag. Illuſtr. Poet. Part. II. num.* 48.
(5) *Num.* 70.
(6) *Muſ. Capitol. To. I. Dichiar. LXII. pag.* 37.
(7) *Monument. antichi inediti Vol. I. num.* 168., e *Vol. II. Part. III. Cap. VI. pag.* 224.
(8) *Le Memorie del primo, e ſecondo Labico pag.* 104.
(9) *Monument a veter. Franc. Ficoronii memoria reperta pag.* 111. *poſt Gemm. antiq. litterat.*
(10) *Nov. Theſ. veter. Inſcr. pag.* 609. *n.* 1.
(11) *Cap. IX. pag.* 174. *Vol.II. Symbol. Litterar. Florent.*
(12) *Lettera ſopra un'antico marmo contenente il catalogo delle Tragedie d'Euripide &c. Lucca* 1767. *per Giuſeppe Rocchi.*

TAB. EADEM.

FIG. II.

ARISTOPHANES.

ARistophanis nomine insculptus Herma, qui in Villa Hadriana Tibure repertus fuit, & nunc in Tablino Mediceo Florentino adservatur, apud Ursinium editus cernitur (1), ex quo nomen Capitolino accessit, & ex hoc Hermae huic nostro adhaesit. Priorem quidem habes etiam apud Gronovium (2), qui Ursinio, Statio, Gallaeio, & Bellorio acceptum refert. Aristophanis vultum agnovit insuper Gorius (3) in Sarda Musei Medicei, licet, ut cum Herma eiusdem Musei conveniat, maior oris similitudo ab ipso desideretur. Winckelmannius vero (4) refert Gemmam affabre elaboratam, quam adservat Romae Thomas Ienkinsius Anglus, celebris Palaeopola, atque sub larva, quam Gemma exhibet, latere censet Aristophanis imaginem, quod nimirum ibidem calvus, ut se in Comoediis descripsit (5), ac etiam hedera cinctus appareat, qualis designatur in eiusdem simulacro, quod in Anthologia (6) laudatur. Tandem Nicolaus Franc. Haymius (7) in duobus Atheniensium Nummis repraesentari sive Homeri caput, ut supra monuimus (8), sive etiam Aristophanis, quod Ursinianae eiusdem imagini similius sit, existimavit.

TAB. XLIV.

FIG I.

HESIODUS.

HErma hic Hesiodo tribuitur, quod cum ceteris eiusdem vultibus conveniat. Marmor scilicet habes apud Ursinium (9), quod a Gronovio (10) repetitur; tum duo habes quinetiam apud Bellorium (11), atque insuper Carneolam, quae & a Fabrio (12) ad-

(1) *Loc. cit. num.* 34.
(2) *Loc. cit. pag.* 68.
(3) *Loc. cit. Vol. I. Claff. III. Tab. XLIII. n.* 6.
(4) *Monumenti antichi inediti Vol. I. num.* 191., *e Vol. II. Part. IV. Cap. IX.* §. *II. litt. B. p.* 255.
(5) *Pac. v.* 767., *Nub. v.* 545., & 552., *tum Equit. v.* 1288.
(6) *Lib. I. c.* 67. *pag.* 93. *l.* 23.
(7) *Mus. Britann. Part. I. Tab. XIX. n.* 2., & 3. *pag.* 207. *edit. Vindob.* 1763.
(8) *Hoc Vol. Claff. II. Tab. IX. Fig. IV. pag.* 15.
(9) *Imag. Vir. Illustr. &c. n.* 68.
(10) *To. II. Antiq. Graec. pag.* 22.
(11) *Illustr. Imag. Par. II. n.* 50., & 51.
(12) *Comment. in Imag. Illustr.*

adducta dein est. Tria praeterea adsunt in Museo Capitolino capita marmorea, quae ipsius nomine insigniuntur. Gorius [1] tandem Sardam profert, quae etsi Graeca ΗΣΙΟΔΟΥ epigraphe, quam Gemma superius laudata gerit, destituta sit, caput tamen simile prorsus est marmoreae imagini apud Ursinium, tum laurea redimitum est, caesaries non brevis, sed aliquantulum promissa.

Tab. EADEM.

FIG. II.

APOLLONIUS TYANAEUS.

DUo Apollonii Tyanaei capita adservat Museum Capitolinum, quibus Herma noster consonus est. Bellorius [2], & Fabrius [3] eiusdem Numismata exhibuerant, quae non dissimilia. Gemmam quoque habes apud Leonardum Augustinium [4].

Tab. XLV.

FIG. I.

POSIDONIUS.

CAput Posidonii habes in Museo Capitolino, quod similitudine oris cohaeret alteri, quod refert Bellorius [5], quodque in Aedibus Farnesianis adservatur, Graeco eiusdem nomine in vestibus insculpto. Eiusdem Nummum argenteum exhibet Begerius [6], in cuius postica parte ΠΟΣΙΔΩΝΙΟΣ legitur. Hic vel Apamensis fuit, vel Olbiopolita; quamquam & alter Alexandrinus exstiterit, qui Zenonis Zittiaei discipulus fuit, historiam post Polybium Lib. LI. usque ad bellum Cyrenaicum, & Ptolemaeum scripsit, tum & declamationes Rhetoricas, & in Demosthenem argumenta edidit. Ast Suidas posteriora haec Oliopolitae tribuenda censet, Historiam vero Apamensi Gerardus Ioh. Vossius [7] ex temporis ratione adscribit. Begerius tamen Alexandrinum ex-

(1) *Mus. Florent. Vol. I. Class. III. Tab. XLIII. n. 3. pag. 96.*
(2) *Loc. cit. Tar. I. num. 2.*
(3) *Loc. cit. num. 24.*
(4) *Gemm., & sculpt. antiq. Tar. I. Tab. XXIV. pag. 9.*
(5) *Loc. cit. num. 29.*
(6) *Thesaur. Brandeburg. To. I. pag. 276.*
(7) *De Histor. Graec. pag. 154.*

excludit, dubiumque inter ſuperiores duos relinquit. Suidas horum omnium opera recenſet.

TAB. EADEM.

FIG. II.

APULEIUS.

APuleii imaginem habes apud Bellorium [1], & Gronovium [2], quae ex Numiſmate maximi moduli, quod Fulvii Urſinii fuit, dein Chriſtinae Suecorum Reginae, effićta eſt. Alteram adſervat Muſeum Capitolinum, longa coma, quam ſibi ipſi in Apologia [3] tribuit, inſignitam. Hanc in Herma noſtro etiam adverte.

TAB. XLVI.

FIG. I.

L. IUNIUS RUSTICUS.

HErmae huic noſtro L. Iunii Ruſtici nomen adhaeſit ex capite Muſei Capitolini, cui ex Herma altero apud Fulvium Urſinium [4], apud Bellorium [5], & apud Gronovium [6] nomen acceſſit. Hic enim eiuſdem nomine ornatur, hac nimirum appoſita epigraphe:

L. IVNII . RVSTICI
PHILOSOPHI
STOICI
L. IVNIVS . L. L
MYRINVS . P. P

Refertur haec epigraphe praeter eos, quos citavimus, etiam a Gruterio [7]. De hoc Stoicae diſciplinae ſećtatore (qui num praeceptor M. Aurelii Imp., an alter a Domitiano obtruncatus exſtiterit, ignoratur) ut & de ceteris, quorum in lapidibus mentio eſt, fuſius a nobis diſſeretur Tomo III. horum Monumentorum in Sylloge veterum Inſcriptionum, quam, Deo dante, exibebimus.

TAB.

(1) *Loc. cit. Part. I. num.* 3.
(2) *Loc. cit. To. III. nnnn.*
(3) *Apul. Apolog. pag.* 407.
(4) *Loc. cit. pag.* 69.
(5) *Loc. cit. num.* 31.
(6) *Loc. cit. To. III.*
(7) *Pag.* 426. *n.* 10.

TAB. EADEM.

FIG. II.

ARCHIMEDES.


Rchimedis nomen huic Hermae indidit Venutius, quod forte eidem cohaerere visus sit cum capite, quod sub eiusdem nomine ipse iam edidit, & illustravit in *Collectanea Antiquitatum Romanarum Antonii Borionii* (1), quodque vultu levi, naso mimo, barba, pedo, ac litteris Q. H. C., scalptoris gemmarii nomen forte exprimentibus, instructum est. Ceterum Ioh. Chrysostomus Scarfò in *Observationibus Criticis* (2), quas in hanc Collectaneam scripsit, quasque superius etiam citavimus, Sileni caput esse contendit. Archimedis effigiem tamen ex veteri marmore, & ex veteri aereo Numismate cum Graeco nomine ΑΡΧΙΜΗΔΗΣ, in opportunitate theatralium machinarum Petri Ottobonii S. R. E. Card. evulgavit Praesul eruditissimus Franciscus Blanchinius. Ast Anaglyphum, in quo cernitur incognitum caput sive Philosophi, sive Poetae, quodque a Cl. Blanchinio acquisitum dein in manus Alexandri Albanii Card. amplissimi devenit, ac tandem in Capitolinum Museum invectum est, nulla veteris testimonii fide commendatur, quod nimirum Archimedis nomen eidem ex fallaci, ac punienda Nicolai Coronae Marmorarii licentia inscriptum fuerit. Ceterum Protome Archimedis ex Maffeio adducta etiam est a Montfauçonio (3), in qua calvus, & simus exprimitur, tum oculos aperit, tamquam qui rem aliquam intento animo percipiat, ac tandem circinum manu tenet, hoc in orbe adscripto lemmate ARCHIMEDES.

(1) *Num.* 73.
(2) *Observ. IX. in num. X. pag.* 16.
(3) *Antiq. Explic. Suppl. To. III. Lib. II. Cap. I. Tab. XVII. n. I. pag.* 43.

TAB.

CLASSIS VII.

QUAE CONTINET

IMAGINES QUADRATIS ET ROTUNDIS FIGURIS INCLUSAS.



TAB. XLVII.

FIG. I.

A M O R.



Mor alatus heic cernitur, cui post humeros pendet cornucopiae fasciola alligatum, quam manibus collectam tenet. Cornucopiae, quod forte illi tribuerint amantes, tamquam bonorum omnium datori, ipse oculis retro conversis conspicit.

TAB. EADEM.

FIG. II.

P A N.



Aput Panis heic habes cornibus, pineis baccis, & arietinis auribus instructum. Barba etiam donatur, ac ore ridenti; quae pastorum Numinis propria. Homerus in Hymnis (1) ipsum vocat δικέρωτα *bicornem*, Nonnusque (2) etiam Silenis cornua tribuit. Cybeli insuper pinea corona adscribitur. Arietinae aures eidem conveniunt, quod in candidissimum mutatus arietem Lunae (3), & Echioni Nymphae placuerit. Ex barba tandem veluti caprina, quae eidem tribuitur, γενειήτης *barbatus* a Callimacho (4) appellatur.

(1) *Homeri Hymn. in Pana vers.* 2.
(2) *Dionysiac. Lib. XIX. in fin.*
(3) *Virgil. Georg. III. v.* 391.
(4) *Hymn. in Dian. vers.* 90.

TAB. EADEM.

FIG. III.

BACCHUS.

IUvenili facie decorus Bacchus heic exprimitur. Caput pampinis, & racemis ſimul redimitur, quale deſcribit Ovidius [1]:

Victa racemiferos lyncas dedit India Baccho;

& alibi [2]:

Bacche, racemiferos hedera redimite capillos.

Hinc etiam Coluthus [3]:

Χρυσείοις δ' ἑκάτερθε τινασσόμενος πλοκάμοισι
Βότρυς.

Aureis autem undique agitato capillis
Racemo.

Ob id inſuper in Anthologia [4] dicitur βοτρυοχαίτης *uvicomus*, atque Nonno σαφυλοκόμος, quod idem ſonat.

TAB. EADEM.

FIG. IV.

HERCULES.

MAle a Venutio Silenus habitus, qui potius ex leonina pelle, qua caput tegitur, quaeque ante pectus, exſtantibus pedum ungulis, alligatur, Hercules innoteſcit. Clypeus hic proſtat nunc in Muſeo Vaticano Clementino.

TAB. XLVIII.

FIG. I.

DIANA TRIFORMIS.

ELeganti ſcalpro elaboratum Dianae Triformis, quae & Tergemina dicta eſt, caput heic exhibemus. Quis neſcit triplicem Dianam a veteribus habitam fuiſſe, quam Lunam nempe in caelis, Dianam in terris, & Hecatem in inferis appellatam arbitra-

(1) *Metamor. XV. v.* 413.
(2) *Faſt. VI. v.* 483.
(3) *De rapt. Helen. v.* 39.
(4) *L.* 38. *Epig. XI.* 3.

bitrabantur? Plura addere non iuvat, cum praesertim integrum huius Deae simulacrum Clariss. Passerius noster in suis *Lucernis fictilibus* (1) illustraverit.

Tab. EADEM.

FIG. II.

CAPUT MEDUSAE.

IN Minervae pectore aegidem, & in Imperatorum thorace loricam, Gorgonis capite instructam, iam superius saepissime innuimus. Hoc, quod heic nunc statuimus, Medusae caput non melius illustrabimus, quam Homeri versibus (2), quos recitamus, quibusque perbelle exprimit

. . . . Αἰγίδα θυσσανόεσσαν
Δεινὴν, ἣν περὶ μὲν πάντη Φόβος ἐστεφάνωτο,
Ἐν δ' ἔρις, ἐν δ' ἀλκὴ, ἐν δὲ κρυόεσσα ἰωκὴ
Ἐν δέ τε Γοργείη κεφαλὴ δεινοῖο πελώρου
Δεινή τε σμερδνὴ τε, Διὸς τέρας αἰγιόχοιο.

. . . . *Aegidem fimbriatam*
Horrendam, quam undique timor ambiebat;
In ea contentio, in ea fortitudo, in ea atrox insectatio,
In ea & Gorgonium caput diri monstri
Dirumque, horrendumque, Iovis portentum aegidem ferentis.

Tab. XLIX.

FIG. I.

CAPUT MEDUSAE.



Lterum Medusae caput producimus, quod praeter angues duabus alis etiam instructum est. Medusae vultus varii exstant etiam apud Montfauconium (3).

TAB.

(1) *Tom. III. Tab. LXXVI., & seqq.*
(2) *Iliad. V. vers.* 738.
(3) *Antiq. Explic. Tom. I. Part. II. Tab. LXXXV. pag.* 146.

TAB. EADEM.

FIG. II.

CERES.

CEres ſtolata, quae dextera manu papaver, ſiniſtra ſpicas gerit, heic cernitur. Huius Deae Statuas iam a Venutio, & a nobis illuſtratas conſulere etiam poteris, ſi lubeat plura cognoſcere [1].

TAB. L.

FIG. I. II. ET III.

TERRA.

TRes Terrae iacentis figuras heic habes, quarum prima caniſtrum, ſive vas pomis refertum, altera cornucopiae fert manu, tertia nihil plane geſtans ſupina cubat. Haec notiora ſunt, quam ut a me explicari petant.

TAB. LI.

FIG. I.

GANYMEDES.

PUlcherrimus puer Ganymedes raptus a Iove per immiſſam aquilam, ſive a Iove ipſo in aquilam converſo heic exprimitur. Pedo armatus conſpicitur, quo paſtor innuitur, quamquam venantem a Iove ereptum fabulae prodant. Ganymedis imaginem ex Achate dedit Iohannes Angelus Caninius [2], ac etiam apud Cauſeium [3] licet intueri Ganymedem gemmae inſculptum, & vas porrigentem aquilae, ſeu potius Iovi in aquilam mutato.

(1) *Tom. I. Tab. XXV. ad XXXI. pag. 20. ad 26.*

(2) *Iconografia, Tav. XLIII. pag. 70.*

(3) *Muſ. Rom. Tom. I. Sect. I. Tab. LVI. pag. 37.*

TAB.

Tab. EADEM.

FIG. II.

M A R S.


Ars, ſive etiam Romulus, ut aliis placet, quorum uterque populi Romani progenitor praedicatur, forte heic habetur, quem galea, thorace, lancea & clypeo armatum intuemur. Martis Signum iam a nobis & allatum, & illuſtratum fuit [1]. Forte lupus, qui Marti ſacer erat, prope arboris truncum additus eſt.

Tab. LII.

FIG. I.

S O L O N.


Ultum Solonis heic haberi vulgo creditur. Gemma cum facie, & nomine ϹΟΛΩΝΟϹ exſtat apud Urſinium [2], & apud Bellorium [3], qui etiam alteram citat in Pinacotheca Hippolyti Vitelleſchii Equitis Romani. Winckelmannius [4] VII. Graeciae Sapientum imagines raras praedicat, quibus ab eo recitatis addendi nunc ſunt Hermae, qui elapſo Ianuario menſe huius anni CIↃIↃCCLXXV. Tibure detecti ſunt, Biantem, Periandrum, Pittacum, Cleobulum, & Thaletem exprimentes, inter quos etiam Solonis vultus habetur cum hac epigraphe: ΣΟΛΩΝ. ΕΞΗΚΕΣΤΙΔΟΥ. ΑΘΗΝΑΙΟΣ. ΜΗΔΕΝ. ΑΓΑΝ. *Solon Execeſtidae Athenienſis. Ne quid nimis*. Hos ſperamus PII VI., quem nobis nunc obtigiſſe Pontificem, & Principem gratulamur, beneficio, & munificentia in Vaticanum Muſeum migraturos, cum imitari Clementis XIV., cuius incoeptis praeeſſe conſueverat, in bonas artes, ac litteras amorem, & ſtudium ipſum omnino deceat.

(1) *Tom. I. Tab. X. pag.* 8., & 9.
(2) *Illuſtrium Imagines num.* 153. *pag.* 76. *edit. Antuerp.* 1606.
(3) *Imagin. Illuſtr. Viror. pag.* 16.
(4) *Monumenti antichi Vol. II. Par. III. Cap. III. pag.* 223.

TAB. EADEM.

FIG. II.

CAPUT INCOGNITUM.


Udum caput nonnisi pro incognito dare nos nunc possumus, qui nempe a nominibus cerebrose imponendis abhorreamus.

TAB. EADEM.

FIG. III.

CAPUT INCOGNITUM.


Alea, quo caput hoc obtegitur, Militem innuit. Bucculae adstant ad latus, & malas utrasque, de quibus superius dictum a nobis sat est [1].

TAB. LIII.

FIG. I.

OCTAVIANUS AUGUSTUS.


Res Octaviani Augusti Statuas [2] iam exposuimus, neque de hoc vultu plura addere praestat.

TAB. EADEM.

FIG. II.

IULIA.


Abes heic faciem Iuliae, Augusti, & Scriboniae filiae, quae primum C. Marcelli, dein M. Agrippae, ac demum Tiberii coniux fuit. Pete ex Historicis reliqua [3].

(1) *Tab. XXXV. Fig. II. pag.* 49.
(2) *To. I. Tab. LXXVI., & seqq. pag.* 76.
(3) *Sveton. in Aug. Cap.* 36., & 65., *Tacit. Annal. Lib. I., & Paterc. Lib. II. cap.* 96.

TAB.

TAB. EADEM.

FIG. III.

NERVA TRAIANUS ULPIUS.



Raianus corona cinctus heic cernitur. Eiusdem Signum Venutius (1) illustravit, neque ad illud nos siluimus; tum Protomem quinetiam nos ipsi superius adduximus (2).

TAB. EADEM.

FIG. IV.

C. VIBIUS VOLUSIANUS.



Reboniani filium Volusianum laurea coronatum heic exhibemus, quem pater imperii consortem vocavit, quique cum eo transfixus a militibus mortem oppetiit.

TAB. LIV.

FIG. I.

FL. HERACLIUS IMP.



N aliis monumentis longam barbam sibi demulcens apparet Fl. Heraclius Imp., quem heic exhiberi multi opinantur. Hic, sublato Phoca, Imperator a militibus salutatus est ann. DCX. Obiit ex hydrope anno imperii sui XXXI.

TAB. EADEM.

FIG. II.

CONSTANS II. IMP.



Ic Constans II. Imp. a nonnullis habitus est, qui & Heraclius Constans dicitur, & Constans Iunior. Imperator factus est, & Constantinus etiam nominatus, successit patruo Heracleonae anno DCXI., occisus autem est anno imperii sui XXXVI. Im-

(1) *Tom. I. Tab. LXXXV. pag.* 84.

(2) *Tab. XV. Fig. I. pag.* 33.

Imperii orbem manu tenet . Olim de Augusto (sub Cynaedi nomine) dictum , acceptumque in Mimo :

Viden Cynaedus ut orbem digito temperat .

Ita etiam Ammianus [1] de Maximiani statua haec habet : *Amisit repente sphaeram aeream formatam in speciem poli , quam gestabat .* Alibi [2] etiam eiusdem moris meminerat .

Tab. EADEM.

FIG. III.

FL. HERACLIUS CONSTANTINUS POGONATUS ET IUSTINIANUS II.



Eic habes Constantinum IV. Imp. , quem & Heraclium II. nominant , immo etiam III. , quemque insuper *Pogonatum* , & *Barbatum* dixerunt . Constanti II. in imperio successit anno DCLXVIII. Cum autem obiisset anno imperii XVII. , suffectus eidem est filius , qui Iustinianus II. , vel Iunior , vel etiam Iustinus III. appellatur , cum annus DCLXXXV. Christi decurreret . Obtruncatus ipse tandem est anno DCCXI.

Tab. EADEM.

FIG. IV.

LEO III. IMP. ET MARIA EIUS UXOR.



Um in Nummis hac fere ratione conspiciendus veniat Leo III. , qui *Conon* antea dictus , & Maria , sive Marina eius coniux , hinc etiam ab aliquibus ambo heic expressi existimantur . Imperator acclamatus est anno DCCXVII. , obiitque anno circiter imperii sui XXV. Augustae collum unionum divite linea ornatur .

(1) *Lib. XXV.* (2) *Lib. XXI.*

CLAS-

CLASSIS VIII.

QUAE CONTINET

ANAGLYPHA CUM VARIIS HOMINUM ET MULIERUM IMAGINIBUS.



TAB. LV.

FIG. I.

VULTUS INCERTI.

TRes habet figuras hoc Anaglyphum, quarum priores duae virum, & uxorem, tertia filium exprimere videntur. Forte gentili ſepulcro appoſitum fuit hoc Monumentum, quo ſuperſtes aliquis filius parentibus, & fratri ſimul parentavit.

TAB. EADEM.

FIG. II.

VIR ET UXOR.

PAr coniugum heic habes, quorum nomen inſculpta vetus epigraphe prodit. Maritus enim *Lucius*. TAMPIVS. *Lucii*. *Libertus*, uxor vero TAMPIA. *Lucii*. *Liberta* ſalutatur.

TAB. EADEM.

FIG. III.

VULTUS INCERTI.

HEic tres vultus habentur, quorum primus ſeniorem praeſefert, duo reliqui iuvenes repraeſentant. Pater forte heic expreſſus eſt cum duobus filiis.

TAB.

Tab. LVI.

FIG. I.

VULTUS INCERTI.


Ir, qui volumen manu tenet, Consularis, vel quis alius Togatus esse videtur, qui proximam sibi puellam in matrimonium iungat, adstante Sacerdotria capite velato, quae forte confarreationis ritum, vel aliud sacrificium, quo sponsis fausta precetur, absolvit.

Tab. EADEM.

FIG. II.

VULTUS INCERTI.


Orte filius est nondum togatus, qui discriminatis crinibus dexterum patris brachium pallio involutum manu tangit, quos simul vita functos superstes aliquis hoc Monumento honorat.

Tab. EADEM.

FIG. III.

VULTUS INCERTI.


Ir pallio indutus virginem stolatam, & capite mitellam gerentem manu prehendit, sibique sponsam facit, adstante matrona in medio ipsorum constituta.

Tab. LVII.

FIG. I.

VULTUS INCERTI.


Uinque figuras continet hoc Anaglyphum, quarum duae in extremis positae viros, ceterae feminas repraesentare videntur. Singulae vero feminae peculiarem, & diversum crinium ornatum habent, quin potius operimentum in capite gerit ter-

tertia, tribus gyris, five gradibus diftinctum, quod non alibi mihi occurrit. Haec, quod cum viro fibi propinquo manus conferat, & altera manu ipfius humerum tangat, contractas cum eo nuptias innuere videtur.

TAB. EADEM.

FIG. II.

VULTUS INCERTI.

FOrte heic habes duos fratres, manu coniunctos, ut innuatur *rara concordia fratrum*. Adhaeret his proxima mulier velata, forte mater ipforum.

TAB. EADEM.

FIG. III.

VULTUS INCERTI.

PAlliatos tres homines habes in hoc Anaglypho, quibus ftolatam mulierem ex diverfo crinium cultu fuccedere quis dignofcat. Blandiens eidem animalculum, & humeris infiftens apparet, quod canis videtur. Catellae olim etiam in deliciis erant feminis, & Auguftorum infuper uxoribus, inter quas fuit Livia Augufti coniux, cuius ferva erat *Aurelia* quaedam A. CVR*a*. CATELLAE, ut ex Infcriptione apud Muratorium (1) cognofcere licet.

TAB. LVIII.

FIG. I. II. III. ET IV.

VULTUS INCERTI.

IN unum cumulum incertos vultus quatuor clypeis inclufos coniicimus, & paucis defcribimus. Mater cum prole forte occurrit primo loco, tum uxor amplectens barbatum virum fecundo, tertio mulieres duae, fortaffe forores, quarum una mitella ornata eft, ac quarto tandem uxor altera imberbem virum amplexans cernitur.

TAB.

(1) *Novus Thefaur. veter. Infcript. pag. 928. num. 13.*

TAB. LIX.

FIG. I. ET II.

VULTUS INCERTI.


Xhibet Fig. I. virum, & uxorem; II. vero patrem crinibus passis, & oblongis cum filiolo, Hermae instar, corpore, & brachiis truncato.

CLASSIS IX.

QUAE CONTINET

FIGURAS ANAGLYPTICAS SINGULARES.



TAB. LX.

MERCURIUS.


Ides heic Mercurium Deorum pocillatorem, sinistra manu ambrosiae craterem ministrantem, dextera arietem altero cornu tenentem, pallio circa humeros advoluto, eiusque extremitatibus hinc inde deciduis, ac cetera nudum. Caput corona cingitur, & capillis brevibus, & crispatis ornatur. Vultus vero cogitabundum praesefert; Quae omnia Mercurio conveniunt. Pincernae munus Mercurio attribuunt Sappho, & Alcaeus apud Athenaeum [1], & Lucianus in Dialogis [2]; ut proinde & in veteri Inscriptione Musei Albanii MENESTRATOR [3] salutetur, & Κάμιλλος apud Plutarchum [4] audiat, quod nomen apud Etruscos [5] solemne, & Διάκονος a Graecis appelletur [6]; quae nomina eodem recidunt. Aries, quem tenet, Mercurii statuis etiam in Oechalia, & Helide positis, Pausania [7] teste, affictus cernebatur, non ut lucri vilis anxietas in mercatura exercenda hoc symbolo innueretur, ut censuit Vossius [8], sed quod, eodem Pausania interprete, gregis custos haberetur. Winckel-

(1) *Deipnosoph. Lib. X. pag. 425.*
(2) *Dialog. Merc., & Maiae; & alter. Charon.*
(3) *Spon. Miscell. erud. Antiquit. pag. 91., Fabrett. Cap. X. num. 114., Murator. pag. 107. n. 9.*
(4) *In Num. pag. 117. l. 11.*
(5) *Macrob. Saturnal. Lib. III. cap. VIII.*
(6) *Aeschyl. Prometh. vers. 941., Scholiast. Aristophanis in Pluto.*
(7) *Lib. IV. pag. 364., & Lib. V. pag. 449.*
(8) *De Relig. gentil. Lib. IX. cap. XX. pag. 792.*

ckelmannius (1) Mercurio arietem tributum cenſet, vel quod in eum ſe commutaverit, cum Penelopis fruitionem aucuparetur, vel quod Bacchum in arietem a Iove converſum, ut a Iunonis ira ipſum eriperet, ad Nymphas pro eius educatione adduxerit, ut ex Apollodoro (2) confinxit. Sed Caietanus Marinius multae eruditionis, & ſubacti ingenii adoleſcens ipſum merito caſtigavit (3), quod Apollodori ἔριφον *arietem* fecerit, quem *haedum* interpretari debuiſſet. Anaglyphum pene ſimile, ſi excipias figurae ſitum, quo ſiniſtra, & dextera pars alternatur, occurrit in baſe Candelabri olim Barberinii, nunc immortali beneficio Clementis XIV. Muſei Vaticani ab ipſo conditi, quod heic memorat Winckelmannius (4), & luculenter Marinius ipſe illuſtravit; qui tamen de Mercurii figura addubitans arietinum ſacrificium heic expreſſum ſuſpicatus eſt, variiſque adductis rationibus, & exemplis confirmare tentavit (5), ut nunc aliud ipſius commentum, ingenioſum licet, praeteream. Aſt cum omnia coniecturam ſapiant, neque ea Mercurium eliminatum videam, facile Mercurium inſcribi Anaglyphum hoc noſtrum per me licuit. An vero ex Candelabri ſculptura profecta ſit noſtra, an ex noſtra altera proceſſerit, adfirmare non poſſum. Illud ingenue dicam, marmor hoc Signo inſculptum, neque in Aedibus, neque in Hortis Matthaeianis a me umquam conſpectum fuiſſe, quod vel alio abſtractum fuerit, vel quod numquam exſtiterit, ut proinde caelatura haec noſtra, quam mihi Librarius inter Matthaeiana Monumenta tradidit, nil niſi unam ex triplici laudati Candelabri fronte exprimere potuerit; quod & ſequens Figura mihi veroſimilius facit, ut mox patebit.

TAB. LXI.
MINERVA MEDICA.


Naglyphum hoc Minervam Medicam nobis exhibet. Caput Minervae criſtato clypeo ornatur, qui ſphinge, & gryphis diſtinguitur. Sphinx etiam a Pauſania (6) Minervae clypeo tribuitur: Ἀυτὸ δὲ ἔκ τε ἐλέφαντος τὸ ἄγαλμα, καὶ χρυσοῦ πεποίηται· μέσῳ μὲν

δ̄ην

(1) *Monumenti antichi inediti Vol. II. Part. I. Cap. XVI. num. II. pag. 44.*

(2) *Biblioth. Lib. III. pag. 93. a.*

(3) *Diſcorſo dell'Abate Gaetano Marini ſopra tre Candelabri acquiſtati dal S. P. Clemente XIV. In Piſa 1771. adnot. 2. pag. 21. Vid. Tab. II.*

(4) *Loc. cit.*

(5) *Loc. cit. pag. 24.*

(6) *In Atticis.*

ὅπῃ ἐπίκειται ἡ τῷ κράνει σφιγγὸς εἰκών. *Deae signum ex auro, & ebore factum, in galeae cono sphinx eminet.* Gryphes quinetiam eiusdem Pausaniae (1) testimonio ad Deae clypeum pertinebant: Καθ' ἑκάτερον δὲ τοῦ κράνους, γρῦπές εἰσιν ἐπειργασμένοι. *Utramque galeae partem gryphes tenent.* De cristatis galeis Palladi assignatis videndus Maffeius (2), & cur gryphes illis insculpantur, consulendus Bonarotius (3). Ceterum alterum Minervae clypeum, apice plumeo ornatissimum, superius descripsimus (4), tum alios quinetiam vide apud Causeium (5). Sinistra manu craterem tenet, ex quo escam serpens depascit, cuius spiris eius corpus cingitur. Longa eius coma anguibus insuper intexta est. Serpens salutis symbolum est, ut nos etiam in superiore Volumine (6) adnotavimus; ubi & de Hygiae cratere aliqua delibavimus. Serpentem idcirco manu tenent Medici in Schola coacti, quos exhibet vetus Musivum Sarsinatense Albanii Delicii, & Pictura Codicis Vindobonensis, Dioscoridis opera continentis, de quibus nonnulla etiam in laudato superiore Volumine (7) attigimus. Tandem eleganti veste Dea amicitur, & soleis pedes teguntur. Similem Minervae imaginem habes in altero, olim Barberinio, nunc Vaticano Candelabro, cuius unam tantum basis faciem, Veneris, sive Spei symbolo insculptam exhibuit Winckelmannius (8), tres vero omnes simul adduxit laudatus Marinius (9), quarum quae medium locum penes ipsum tenet, Winckelmannii Venus est, sive Spes alterius, quae vero ad dexteram cernitur, nostra Minerva haec Medica esse deprehenditur; hoc tantum discrimine, quod dextera ipsius corporis pars ibidem exhibetur, cum in nostro schemate sinistra conspicua sit. Quare in ea confirmor sententia, ut tum hoc, tum superius schema ex laudatis Candelabris exceptum credam, numquam vero huiusmodi Anaglypha inter Matthaeiana Cimelia exstitisse censeam.

(1) *Ibid.*
(2) *Gemme illust. Par. I. pag.* 137.
(3) *Medaglion. pag.* 145.
(4) *Tab. V. Fig. II. pag.* 7.
(5) *Mus. Roman. Tom. I. Sect. I. Tab. V., VI., & VII. pag.* 5., *& seqq.*
(6) *To. I. adnot. ad Tab. LVIII. pag.* 50.
(7) *Ibid. adnot. ad Tab. LX. pag.* 54.
(8) *Monumen. antichi inediti Vol. I. num.* 30., *e Vol. II. Par. I. Cap. XII. num. I. pag.* 36.
(9) *Loc. cit. pag.* 31., *& seqq. Vid. Tab. II.*

TAB.

Tab. LXII.

FIG. I.

VENUS MARINA.

Enus heic cernitur concham ſiniſtra manu tenens, dextera veſtem ſuſtinens, qua quoquo modo tegitur. Pontia Venus, ſive Marina conchae ſymbolo proditur, quae nimirum

Orta ſalo, ſuſcepta ſolo, patre edita Caelo (1).

Chriſtianus Sigiſmundus Liebeius (2) refert Nummum familiae Vibiae, a Vaillantio (3) ex parte adverſa minus recte delineatum, ubi cernitur caput Veneris laurea cinctum, νικηφόρου, nempe *victricis*; quae illic nuda eſt ad crura uſque, ſtans prope columnam, dextera veſtem apprehendens, ſiniſtra tenens concham marinam. Inſcriptio haec eſt: L. VIBIVS. VARVS. In hac averſa parte delineata a Fulvii, & Patinii icone nonnihil receſſit Vaillantius, ut videri poſſit, quod nimis ſaepe neglexit, ceteroquin eam ad prototypum ſuum emendaſſe. Fulvius enim, & Patinius neſcio quam veluti capſulam ſiniſtrae Veneris tribuunt, pro qua ſceptrum, vel baculum vir cl. ſculpendum curavit, quod loco victoriae ſigni Venerem tenere arbitratur, ad imperium illius ſuper omnes deſignandum. At ſceptrum, baculuſque vix credi poteſt, quod geſtat Venus. Breviuſculum enim eſt, nec tantae longitudinis, quanta in delineatione Vaillantii exhibetur. Concham marinam potiori iure appellat Liebeius, cuiuſmodi Tritones fere in veterum monumentis inflare ſolent, qualis cernitur in Gemma longe elegantiſſima Gazae Brandeburgicae (4), qua Venus ἐπιπόντια, delphino inſidens, Tritone praeeunte, & ſimili concha canente, ſiſtitur. Neque alias inſolitum Venerem ad natales ſuos indicandos concham tenere, cuius rei exemplum praebet Nummus Fauſtinae Iun. apud Oiſelium (5). Albericus Gentilis (6) eam ita deſcribit: *Pingebatur Venus pulcherrima puella, nuda, & mari natans, & in manu ſua dextera concham tenens, atque geſtans*. Ad quae verba notat Munkerius, ſimulacrum Veneris concham portantis ex veteri marmore a Vincentio Chartario inter Deo-

(1) *Auſonius*.
(2) *Goth. Nummar., ſeu Theſaur. Frideric. Numiſm. Cap. II. §. IX.*
(3) *Tom. II. Tab.* 146.
(4) *Tom. I. pag.* 178.
(5) *Tab. XLVIII. num.* 9.
(6) *Mythograph. Lat. To. II. Cap. V. pag.* 304. *edit. Munker.*

Deorum imagines repraeſentari. Haec fere omnia ex Liebeio excerpſimus. Notandus nunc venit Veneris amictus, quo non raro donabatur. Patet id ex Apuleio (1), penes quem legitur: *Niſi quod Venus pallio bombycino inumbrabat ſpectabilem pubem*. Artemidorus id etiam innuit, dum ait (2): Ἀεὶ δὲ ἀγαθὴ νενόμισται ἡ μέχρι ζώνης τὰ κάτω ἐσκεπασμένα ἔχουσα, διὰ τοὺς μαζοὺς, οἵ εἰσι τροφιμώτατοι, γυμνούς τε ἔχειν, καὶ ἐπιδείκνυσθαι. *Semper enim bona habita eſt* (Venus) *uſque ad zonam inferiores partes velatas habens, ut mammas, quae ſunt craſſiſſimae, nudas habeat, & oſtendat*. Haec noſtra commode reſpondet Artemedori deſcriptioni, eiuſque ſectatoribus ipſa ſic conformata, & conſpicua boni ominis ſpectrum foret. Hac ratione & nuda, & tecta ſimul conſpicitur Venus in Ara Vulcani olim Hortorum Caſalium, nunc Muſei Clementini Vaticani, ubi Paridis iudicium exprimitur. Vide hac de re Horatium Orlandium, qui inſigne hoc Monumentum poſt Fabrettium, Bellorium, & Montfauconium accuratius edidit, & luculentius illuſtravit (3).

TAB. EADEM.

FIG. II.

VENUS MARINA.



TRuncatum Veneris Marinae, ſive Anadyomenes, ſcilicet emergentis ex aquis ſimulacrum heic habes. Caput, & truncus pubem tenus perierunt, cetera ſuperſunt. Scopulo inſidere apparet, cui fuci, & tubuli adhaerent, & cui adſtant duo Amorculi, quorum unus aliger concham praefert, alter Tritonum inſtar concha altera oblonga, ſive buccino ſonum edit. Forte & Delphini cauda reliqua nunc eſt, ut cuique intuenti patebit. Veneris cruribus ſudarium tandem inſertum videas, quo ſe forte lotam abſtergat. Sed plura de Venere Marina etiam dicenda occurrent Tomo ſequenti, ubi eius Anaglyphum alterum referemus.

(1) *Metamor. Lib. X.*
(2) *Oneirocritic., ſeu de ſomnior. event. Lib. II. cap.* 42.
(3) *Ragionamento di Orazio Orlandi Romano ſopra una Ara antica poſſeduta da Monſignor Antonio Caſali Governatore di Roma. In Roma* 1772. *Art. IV. pag.* 30.

TAB. LXIII.

L U N U S.

PRaeter Lunam etiam Lunum coluerunt veteres, & praeſertim Carreni Meſopotamiae populi, teſte Spartiano [1], qui de Caracalla ſcribit, ipſum ad Dei Luni templum acceſſiſſe, de quo *ſciendum doctiſſimis quibuſque id memoriae traditum, atque ita nunc quoque a Carrenis praecipue haberi, ut qui Lunam femineo nomine, ac ſexu putaverit nuncupandam, is addictus mulieribus ſemper inſerviat: at vero qui marem Deum eſſe crediderit, is dominetur uxori, neque ullas muliebres patiatur inſidias. Unde quamvis Graeci, vel Aegyptii eo genere, quo feminam hominem, etiam Lunam Deum dicant, myſtice tamen Deum dicunt.* Cultum hunc Alcaitis populis tribuit Aldus Manutius Iun. in *Commentatione Hiſtorica de falſa antiquorum religione, deque Larario*, quam nos primum litterato orbi communicavimus, & in qua ſic habetur [2]: *Non videtur tacenda mira reverentia, qua populi Alcaiti Lunam proſequebantur; nam tanti eam faciebant, ut in eum indignati, qui feminino nomine eam deinceps appellaſſet, in omni ſua vita uxoris ſervus, & mancipium eſſet, contraque dominus, & caput eius, qui non Lunam, ſed Lunum nominaſſet.* Ceterum Lunarem cultum apud Galatas viguiſſe, teſtatur crebra Dei effigies in eorum Numiſmatibus, & Luna creſcens pone muliebre caput in Nummo eorum Autonomo. Ioh. Antonius Hubertus Roudilius Berriacius Monſpeſſulanus, vir ſane eruditus [3] facile ſuſpicatur obſcuram nimis huius cultus originem a Iuliopolitanis Bithyniae populis eſſe derivandam, ut Galatae ab iiſdem cultum illum acceperint, tum ob urbium vicinitatem, tum ob inſignium, quibuſcum Deus Lunus in monumentis utriuſque gentis ſe prodit, ſimilitudinem. Certe quidem eum ſumma in veneratione fuiſſe apud Iuliopolitanos, evincit frequens Dei imago in eorum Nummis percuſſa. Sex vero Nummos Galatici Regni, mox Provinciae, citat laudatus Cl. Vir [4], quorum primus pertinet ad Commune Galatarum, in quo Deus Lunus pileo Phrygio tegitur, dextera haſtam, ſiniſtra globum tenet [5]; alter

(1) *In Caracalla, pag.* 413. *Hiſtor. Aug. Script., ubi vide Caſauboni adnotationes. Vid. & Salmaſium ad Trebell. Pollionem in Gallienis duobus adnot.* 1. *pag.* 719.

(2) *Anecdot. Litterar. Tom. I. pag.* 180.

(3) *Monumentorum Galaticorum Synopſis &c. Liburni* 1772. *pag.* 72.

(4) *Loc. cit. pag.* 71., 73., 76., & 78.

(5) *Ex Vaillant. Numm. Graec. pag.* 27.

alter Tectosagum est, ubi idem Deus tunicatus conspicitur, pileo Phrygio tectus, ac dextera extensa pateram tenens [1]; tertius similis plane superiori [2]; quartus Antinoi Ancyranorum, ubi Lunus stans cum Luna cresente humeris falcata, anchoram dextera, sinistra hastam gerens [3]; quintus Caracallae pariter Ancyranorum, ubi ornatus est Deus pileo Phrygio, dextera victoriam, sinistra hastam tenens, & pedem clypeo imponens [4]; sextus denique Septimii Getae Sebastenorum, ubi Deus Lunus tunicatus, pileo Phrygio tectus, cum Luna crescente humeris falcata, dextera hastam, sinistra poma ferens exprimitur [5]. Haymius [6] vero Numisma alterum refert Sardianorum Lydiae populorum, in quo idem Deus pileo Phrygio ornatur, & pone humeros falcatam Lunam ostentat. Nec desunt aliorum populorum Numismata, quae Dei Luni religionem apud ipsos profitentur, & in quibus etiam diversimode effingitur. Siquidem in Nummis Magnesiorum stat Lunus inter duas faces, quibus serpentes circumvoluti sunt; in Nummis Laodicensium ad Libanum dextera equi, seu muli capistrum tenet [7]; tum in altero Septimii Severi sinistra victoriolam gerit [8]; ac in aliis tandem vel equo insidet, vel prope illum gallus adstat, vel bovis caput ad eius pedes adiacet [9]. Praetereo Nummum Antiochi Epiphanis apud Begerium [10], quo etiam in Syria Luni Dei cultum extitisse evincitur, & in quo masculum hoc Numen stans effingitur, Lunam falcatam supra caput, Solem dextera, & sinistra iaculum gerens. Praetereo & alios Antiochiae, Romanae Coloniae in Pisidia, cum inscriptione: MENSIS. COL. CAES. ANTIOCH. Ast alterum potius describere praestat, quem refert Cl. Gorius [11], & ex eo Bassus Bassius in suis ad Italam Banierianam Mythologiam adnotationibus [12]. Nummus hic nomen gerit *Caii*. PVBL*icii*. VIT*alis*, ut iisdem legere placet, & vultum exhibet humanum, qui & mari, & feminae conve-

(1) *Ex Opere, cui titulus*: Recueil de Medagl. de Peupl. *Tom. III. pag.* 209. *Pl.* 128. *num.* 6.
(2) *Ex Thes. Britann. Par. II. Tab. XXX. num.* 8. *pag.* 252.
(3) *Ex Vaillant. loc. cit. pag.* 39.
(4) *Ibid. pag.* 98.
(5) *Rec. de Med. de Peupl. To. III. pag.* 255., *&* 256.
(6) *Cit. Thes. Britann. Par. II. Tab. XXI. num.* 3. *pag.* 183.
(7) *Vid. cit. Monum. Galatic. Synops. pag.* 72.
(8) *Vid. Froelich quatuor tentamina pag.* 96., *& Librum, cui titulus*: Instituzione Antiquario-Numismatica &c. in Roma 1772., *Lib. I. Cap. IX. pag.* 122.
(9) *Ibid. pag.* 97., *& cit. Instit. pag. ead.*
(10) *Thes. Brandeburg. Tom. I. pag.* 257.
(11) *Mus. Florent. Tom. II. Tab. XIII.*
(12) *La Mitologia dell' Abate Banier tradotta in Italiano da M. Maddalena Ginori ne' Pancrazi &c. Tom. I. Lib. I. Cap. IV. not.* (a), *Tav.* 45. *pag.* 165.

veniat, ut proinde & Lunus, & Luna censeri possit. Pone ipsum adstat pharetra, & geminae hastae, quae omnia venantis propria sunt. Nubibus imminet, ex quibus imber coalescit, ac defluit; vel quod pluvias Luna praemonstret, vel quod nebulas cogat, vel quod Luna, seu Lunus potius Aerem, in cuius regione nubes versantur, desponsaverit, atque eius numini idcirco nubes ipsae subiiciantur, quemadmodum huius coniugii proles ros habitus est. Insuper in variis aliis Orientis locis, teste Strabone (1), colebatur Lunus, quem ipse non σελήνον, sed μῦνα dixit, & cuius varia templa commemorat. Multos alios sane androgynos Deos, sive incerti sexus veteres habebant. Sic Iuppiter ipse & mas, & femina credebatur. Quare Orpheus, ubi Iovem describit, canit (2):

Ζεὺς ἄρσην γένετο, Ζεὺς ἄμβροτος ἔπλετο νύμφη.

Quod Apuleius (3) sic vertit:

Iuppiter & mas est, & femina nescia mortis.

De Venere etiam apud Virgilium (4) ait Aeneas:

Descendo, ac ducente Deo flammam inter & hostes
Expedior.

Ad quem locum Servius ita commentatur: Ducente Deo, *secundum eos, qui dicunt utriusque sexus participationem habere Numina.... Est etiam in Cypro barbatae Veneris simulacrum.* Macrobius quinetiam hunc locum illustravit (5): *Doctissime dixit ducente Deo, non Dea; nam & apud Calvum Acterianus affirmat legendum pollentemque Deum Venerem, non Deam. Signum enim eius est Cypri, barbatum corpore, sed veste muliebri cum sceptro, & statura virili; & putant eamdem marem, & feminam esse. Aristophanes eam* Ἀφρόδιτον *vocat. Laevinus etiam sic ait: Venerem igitur almum adorans, sive femina, sive mas est, ita uti alma noctiluca est. Philocorus quoque in Atthide eamdem affirmat esse Lunam, & ei sacrificium facere viros cum veste muliebri, mulieres cum virili, quod eadem & mas aestimatur, & femina.* Hinc Venerem masculam etiam Statuae quaedam veteres exhibuerunt, ut ex Servio didicimus, & Macrobio, & ut testis est Suidas, qui Veneris Statuam cum pectine, & barba effingi solitam refert, nec huius rei rationem tacet. Bacchus insuper & vir, & femi-

(1) *Geograph. Lib. XII.*
(2) *Apud Euseb. Praepar. Evang. Lib. III. pag. 61.*
(3) *Lib. de Mundo.*
(4) *Aeneid. Lib. II. vers. 633.*
(5) *Saturnal. Lib. III. Cap. VIII.*

femina dicebatur ; Ariſtides [1] certe utroque ſexu praeditum affirmat : Ταῦτ᾽ ἄϱα καὶ ἄῤῥην τε, καὶ θῆλυς ὁ θεὸς, ὥς φασιν. *Propterea utique eſt & mas, & femina deus, ut aiunt*. His adde Fortunam Virilem, quae & *Barbata* in lapidibus dicta eſt, & ſub viri barbati, dextera temonem tenentis, habitu ſculpta eſt, teſte Iacobo Sponio [2], qui ex ſchedis Ligorii Inſcriptionem profert, & effigiem deſcribit; quamquam Muratorius [3] ipſam accuratiorem, addito ſchemate, rurſus exhibuerit, ad cuius fidem Inſcriptionem primum, quae ad Numinis pedes proſtat, heic nunc ſiſtimus :

FORTVNAE
BARBATAE
SACR

Tum alteram damus, quae ad eius latus legitur :

L. AVRELIVS
MARCIANVS
AVG. LIBER
TVS . EXCEP
TOR . S. S. L. M

Aſt lineae ultimae ſiglas ſic lege, & interpretare : V*otum* (primum S in V commutandum) S*olvit* . L*ibenti* . M*unere* . Fuit & Romae *Barbatae Fortunae Aedes*; atque Numen hoc ipſum androgynum ſub *Fortunii* nomine merito ridet veterum Patrum ſapientiſſimus Auguſtinus [4]. Huius autem rei rationem ſic reddit M. Georgius Wonna [5] : *Sexus autem diverſitas eiuſdem Numinis non tam ex diverſarum gentium aliis, atque aliis inſtitutis, quam ex interpretatione nata eſſe videtur. Interpretari autem Numina Pontificum erat, interpretatioque illa ad naturam rei fere ſpectabat. Quia igitur in eodem Numine aliquando quod viri, aliquando quod feminae eſſet, invenere, illud & marem, & feminam fingebant. Et licet omnia Numina utriuſque ſexus nomine compellata fuiſſe non inveniamus, creditum tamen fuiſſe ſapientioribus, utriuſque ſexus Numina eſſe omnia, verba Servii adducta probare videntur*. Quod tamen non ita accipiendum vi-

(1) *Orat. IV. in Bacchum pag.* 52. *Tom. I. Vid. Hier. Aleandrium Tab. Heliac. explic. in Theſ. Ant. Rom. Graev. Tom. V. pag.* 741.

(2) *Epiſt. II. poſt Ignotorum, atque obſcurorum quorumdam Deorum Aras pag.* 108., & 109., & *Miſcell. erud. Antiq. pag.* 104.

(3) *Nov. Theſ. veter. Inſcr. pag. LXXXI. num.* 2. Innuit hanc Inſcriptionem Reineſius *Syntag. veter. Inſcr. Claſſ. I. num.* 121.

(4) *De Civit. Dei Lib. IV. Cap. XI.*

(5) *De Ara Ignoti Dei &c. Diſſertat. Philologica. Ratiſponae litteris Samuelis Krebſii* 1659. *Cap. III.* §. 24.

videtur iuxta laudatum Wonnam, quaſi revera ſimul & mares, & feminae haec Numina exſtiterint, ſed quod omnia fuerint, & continuerint ex ethnicorum Theologia, vel quod potius omnia cum mortalibus communia ipſis eſſe, hac ratione Poetae, Myſtaeque veteres imperito vulgo ſuaderent [1]. Quare factum eſt, ut cum ethnici invocarent Deos, ne quid in ſexu peccarent, utrumque coniungentes dicerent: *Sive Deus, ſive Dea es*. Hinc etiam Arnobius [2] ipſos gentiles irridet, atque increpat, dum ait: *Conſueſtis in precibus, ſive tu Deus, ſive tu Dea dicere*. Boxhornius [3], quem fere exſcripſit citatus Wonna, haec lapidi inſculpta aſſerit, quae id confirment:

S I V E . D E O
S I V E . D E A E
C. T E R. D E X T E R
E X . V O T O
P O S V I T

Cui Numini hoc votum dicatum fuerit, incertum; non enim Iovi dumtaxat, ut ille cenſuit, convenire poteſt, quod ad ceteros etiam Deos ſpectare iam patet, ſi ipſorum ſingulos, qui idcirco ἀῤῥενοθηλεῖς appellati ſunt, utroque ſexu potiri ex veterum Mythologia creditum eſt. Sed ad Anaglyphum noſtrum veniamus. Exhibet hoc Deum Lunum pileo Phrygio inſignitum, qualem in Nummis ſuperius expreſſum vidimus, & qualem Venutius noſter in ſuperiori Volumine [4] ipſum effingi animadverterat. Pallium habet ante pectus ligatum, poſterioraque dumtaxat obtegens, tum ſuccin gitur brevi anaxyride, ſeu ſubligaculo [5], Perſarum inſtar, quo pudenda celentur, atque ita ambigui ſexus forte etiam indicia ſubducantur. Facem denique accenſam, qua *luce lucet aliena* [6], utraque manu ſuſtinet. Quocirca id fieri potuit, ut Luna, quatenus lucem a Sole mutuatur, coniux eius; quatenus ipſa vim ſuam in inferiora haec exſerit, atque diffundit, mas eſſe videretur.

(1) *Winckelmann Monument. antichi inediti Vol. II. Sez. I. Cap. I. pag.* 1.
(2) *Lib. III. adverſ. Gentes.*
(3) *Quaeſt. Roman.* 13.
(4) *Tom. I. horum Monument. Matthaeior. Tab. XCVI. pag.* 96.
(5) *Vid. Lazari Bayſii opus de re veſtiaria Cap. XX. pag.* 44. *b.*, *& ſeq.*
(6) *M. Tullii Cicer. de Somn. Scipion.*

TAB.

TAB. LXIV.

FIG. I.

POLYHYMNIA.



Usa heic habetur, quam Polyhymniam inſcripſimus, quod ipſa citharam pulſans Lyricae Poeſi praeeſſe exiſtimaretur, ab hymnis concinendis ita denominata. Hinc Cl. Praeſul Franciſcus Blanchinius [1] Sponium [2] carpit, quod ex Avieni carmine Euterpi barbiton tribuerit; quandoquidem Horatius [3] eidem tibias aſſignat, barbiton vero, ſive lyram, aut etiam citharam Polyhymniae:

. . . . *ſi neque tibias*
Euterpe cohibet, nec Polyhymnia
Lesboum refugit tendere barbiton.

Et quoniam ex interpretum fide *Lesboum barbiton* ſignificat carmina Alcaei Lycorum principis, in Lesbo inſula nati, hinc Horatius [4] rurſus ait ad lyram ſuam converſus:

. . . . *Age, dic Latinum,*
Barbite, carmen,
Lesbio primum modulate civi.

Ceterum Sponius [5] etiam Clio citharam tribuit in Sarcophago Matthaeiano, de quo nobis Tomo ſequenti agendum erit, & Montfauconius [6] quinetiam ex fide Callimachi, & anaglyphi, quo ornatur Epitaphium M. Sempronii Nicocratis Muſici, Poetae, & Citharoedi. Verum, quidquid de nomine dicere lubeat, certe Muſa heic cernitur, quae eleganti ſellae a ſphingibus ſuſtentatae, & ſuppedaneo inſtructae inſidet, pulchra tunica axillari, ſive μασχαλωτῷ χιτῶνι [7] amicitur, & citharam tetrachordem ſiniſtra manu tenet, dexterae vero digitis cordas tentat. Sphinges, de quibus inferius [8], arcana Deorum a Muſis celebrata, quae horum animantium aenigmata aemulantur, forte produnt. Suppedaneum Deorum conſanguineis, aliiſque ſuper humanam ſpeciem elevatis tribueba-

(1) *De tribus generibus Muſicae veterum, inflatile, tenſile, & pulſatile ad Tab. V. apud Cauſeium Muſ. Roman. To. II. Sect. IV. pag. 38.*
(2) *Miſcell. erud. Antiq. Sect. II. art. IX. pag. 44.*
(3) *Carmin. Lib. I. Od. I. verſ. 32.*
(4) *Ibid. Od. XXXII. verſ. 3.*
(5) *Loc. cit.*
(6) *Palaeograph. Graec. Lib. II. Cap. VII. pag. 171.*
(7) *Vid. apud Heſychium voc.* Μασχαλὶν, *& Alex. Symmach. Mazochium Tab. Heracl. Part. I. adnot. 42. pag. 199.*
(8) *Tab. LXVIII. Fig. II.*

batur. Veſtium, & cithararum modos varios ſunt, qui illuſtraverint. Pectus tandem modeſte exertum heic Muſa pandit, ut proinde duas mammis nudatas puellas a Muſarum choro arceat Winckelmannius [1].

TAB. EADEM.

FIG. II.

MULIER DEFUNCTA.

FErali veſte amicta, mitellam capite gerens, dextera manu coronam tenens, ſiniſtra genam ſuſtentans, ac concinne iacens cernitur mulier florenti aetate, quam immatura mors e vivis eripuit. Sarcophagi operimentum hoc eſt, cui ſuperne mortuorum ſimulacra inſculpi olim conſueverat. De coronis, quibus & mortui, & ſepulcra ornari ſolemne erat apud veteres, vide Paſchalium [2], Gutherium [3], & Kirchmannium [4], qui hac de re multa ſcriptorum loca adducunt.

TAB. LXV.

FIG. I.

G E N I U S.

CErnitur hic Genius aliger, & palliolo, quod poſteriora obtegit, indutus, qui vitta ſacra Candelabrum tripode ſuſtentatum cingit, cui flamma ex pice, vel oleo ſuperſtat ad rem aliquam divinam, ſeu libationem faciendam. Cui non notum, vittis olim inſignitas aras, victimas, fores templorum, & ſacerdotes, ut exempla nunc adducere ſupervacaneum ſit?

TAB. EADEM.

FIG. II.

G E N I U S.

ARae ſepulcrali, duabus paraſtatis ornatae adſtat Genius, qui columellam ſuſtinet, qualem humo figere ſuper tumulum veteres conſueverant. Narrat Cicero [5], *Pittacum ſuper terrae tumulum noluiſſe quid ſtatui, niſi columellam tribus cubitis ne altiorem.*

Haec

(1) *Monumenti antichi inediti To. II. Part. I. Cap. V. §. II. pag. 21.*

(2) *De Coronis Lib. IV. cap. 6.*

(3) *De Iure Manium Lib. I. cap. 22.*

(4) *De Funeribus Lib. IV. cap. 3.*

(5) *De Legib. Lib. II. cap. 26.*

Haec humilior erat, ut non multum a cippo differret, ſicut haec noſtra, quae ſuperne capite arietino, ſive hircino, inferne vero cuſpide inſtructa eſt, qua in terram defigatur. Heic ferme videas, quem deſcribit Propertius (1):

I puer, & citus aliqua propone columna,
Et dominum Exquiliis dic habitare tuum.

Gutherius (2) enim auctor eſt, in Exquiliis ſepulcra pauperum exſtitiſſe. Ceterum arae principibus viris exſtrui ſolebant, quibus columellae huiuſmodi etiam communes fuerunt.

TAB. LXVI.
CONSUL.

Toga Conſulem prodit, qui & tunica interiori amicitus conſpicitur. Simile Conſulis Signum illuſtratum a Venutio noſtro occurret Tomo ſuperiori (3), ubi & nos aliqua adnotavimus. Pedes calceis tectos inſuper vides in hoc Anaglypho.

TAB. LXVII.
PHILOSOPHUS.

Barba, & coma impexa, pallium, & volumen, quo diſtinguitur Vir hoc Anaglypho expreſſus, Philoſophum nobis obiicit. Hinc Herodes Atticus Conſularis vir apud Gellium (4): *Video, inquit ...., barbam, & pallium: philoſophum non video.*

(1) *Lib. III. Eleg. 21. verſ. 23.*
(2) *De Iur. Man. Lib. II. cap. 24.*
(3) *Vid. To. I. horum Monum. Matthaeior. Tab. LXXIII. pag. 71., & ſeqq.*
(4) *Noct. Attic. Lib. IX. cap. II.*

CLAS-

CLASSIS X.

QUAE CONTINET

SIGNA ANIMALIUM.

TAB. LXVIII.

FIG. I.

CYNOCEPHALUS.

Cynocephalus inter ſacra animantia recenſebatur, & ad Iſidem pertinebat, quin & ad Oſiridem, ſive ad Lunam, & Solem. Conſulantur Hieroglyphica Hori Apollinis [1], ubi huius animantis conſenſus cum utroque Deo, & maris, quem heic vides, proprietas innuitur. Ceterum haec viventium ſpecies ad humanam naturam referebatur antiquitus; ſiquidem, teſte Gellio [2], tradebatur, *eſſe in montibus terrae Indiae homines, caninis capitibus, & latratibus, eoſque veſci avium, & ferarum venatibus*. Simile prodit etiam Plinius [3], Aelianus [4], & poſt ipſos Manuel Phile [5], qui poſtremum expilans ita deſcribit:

Οἶδα τὶ κυνόμορφον ἀνθρώπων γένος,
Ὃ φθέγγεται μὲν οὐδὲν, ἀλλ᾽ ὠρύεται,
Παντὸς δὲ κυνὸς εὐδρομότερον μένον,
Τοὺς θῆρας αἱρεῖ, καὶ σιτεῖται τὰ κρέα
Ξανθέντα, καὶ φρυγέντα φωσφόρου ζέσει.
Στολίζεται δὲ τὰς δορὰς τὰς ἐκ πόνων.

Novi genus hominum in canis figuram,
Nihil quidem loquitur, ſed ullulat,
Omni autem cane celerius currit,
Feras capit, & veſcitur carnibus
Caeſis, & aſſatis ſolis fervoribus,
Induitur autem pellibus laborum.

Hunc *ſemicanem Deum* [6], ſive *ſemihominem canem* [7] coluerunt Hermopoli-

(1) *Hieroglyph. Lib. I. Cap. XIV., & XV.*
(2) *Noct. Attic. Lib. IX. Cap. IV.*
(3) *Hiſtor. Natural. Lib. VI. Cap. XXX.*
(4) *Hiſtor. Animal. Lib. IV. Cap. XLVI.*
(5) *Oper. de Animalium proprietate Cap. XLII.*
(6) *Lucan. Pharſ. Lib. VIII. verſ.* 853.
(7) *Sedulius in Heroicis Paſchalis operis Lib. I. verſ.* 231.

polltae Aegyptii, eoque Mercurium intelligebant; *Nam Mercurium quartum*, teſte Alexandro Sardio (1), *Nili filium fatetur Arnobius, qui quidem Nilus idem ſit, qui Oſiris, ut ait Euſebius, & pater Deorum apud Aegyptios*. Mercurium Cynocephalum baſi marmoreae ſculptum exhibet Nicolaus Galeottius (2); Tum duo Cynocephali ſedentes, ut hic noſter, qui acceſſum nempe, & receſſum a tropico ad tropicum, duoque anni aequinoctia indicant, ex Hori Apollinis fide (3), cernuntur in tertia parte hydriae Canopum referentis apud Cauſeium (4); neque etiam Cynocephalus alter deeſt, quem adeas, ſi lubet, apud Begerium (5). Eius Signum ex Baſalte exſtat etiam in Muſeo Capitolino inter cetera Aegyptia monumenta in Hadriani Tiburtino reperta, & a Benedicto XIV. Romanorum Pontificum ſapientiſſimo in Capitolinas aedes advecta. De hoc noſtro nihil aliud innuendum reſtat, cum in eo animal iſtud & mas, & ſedens a nobis iam ſupra deſcriptum fuerit.

TAB. EADEM.

FIG. II.

S P H I N X.

Sphinx Hydram matrem habuit, ac monſtrum eſt muliebri facie, pectore, pedibus, & cauda leonis, & avis pennis quandoque praeditum (6). Ceterum & ἀνδρόσφιγγες fuerunt ex Herodoti (7) fide, maſculini nempe ſexus, de quibus erudite differit Winckelmannius (8) Philemonis Poetae fragmentum (9) illuſtrans, tum barbam in quibuſdam monumentis, & in aliis ſcrotum animadvertens. Nonnullis vero Aegyptiam Sphingem a Graeca diſtinguere placet, cum prior alis donetur, quae quidem in Menſa Iſiaca etiam alata conſpicitur. Licet hoc animalium genus humano vultu exprimatur, ad brutorum tamen claſſem amandandum, & praecipue ſimiorum, quibus maxime aſſimilatur. Ante templorum fores Sphinges collocabantur, ὡς αἰνιγματώδους τοῦ περὶ θεοῦ λόγου, καὶ ἀσαφοῦς ὄντος, *quod aenigmaticus eſt ſermo de Deo, & obſcu-*

(1) *Antiquorum Numinum, & Heroum origines pag.* 18. *edit. Roman. anni* 1775.
(2) *Muſ. Odeſcalch. Tom. I. Tab. XLVI. pag.* 109.
(3) *Loc. cit. Cap. XVI.*
(4) *Muſ. Roman. Tom. I. Sect. II. Tab. XLII. pag.* 87.
(5) *Theſ. Brandeburg. Tom. III. pag.* 307.
(6) *Vid. Alexand. Sardii Antiquorum Numin., & Heroum origines pag.* 3.
(7) *Lib. II. pag.* 100.
(8) *Deſcript. des Pier. grav. du Cabin. de Stoſch pag.* 4. *n.* 7., *e Monument. antichi inediti Vol. II. Par. I. Cap. XXXVII. §. V. pag.* 103.
(9) *Apud Athen. Deipn. Lib. XIV. pag.* 659.

obſcurus, ut ait Clemens Alexandrinus (1). Hinc Muſam ſuperius (2) ſellae inſidentem, quae Sphingibus ſuſtentetur, innuimus, quod Sphingis aenigmatibus cantica Deorum, quae arcano ſermone a Muſis, & Poetis celebrari ſolent, adumbrentur. Tradunt Svetonius (3), Plinius (4), & Dio (5), Auguſtum Sphinge primum in ſignandis diplomatibus, libellis, & epiſtolis uſum fuiſſe, ut forte principis ſecreta per ipſam ſignificaret. Varia Sphingium Signa exſtant Romae, & alibi, quarum nonnulla etiam aere caelata edita ſunt. Inter *Antiquitates ſacras, & civiles Romanorum explicatas* (6) eadem occurrunt; aliaque habentur apud Montfauconium (7). Quatuor angulis repetitam Sphingis effigiem, manibus humanis praeditam, habet Obeliſcus Solis in eius ſummitate ad Campum Martium, atque eam ſemel expreſſam videre licet apud Winckelmannium (8), qui pleraſque alias etiam refert. Oſſuarii operculo ſuperpoſitum Sphingis ſimulacrum exhibuit Baſſus Baſſius in ſuis ad Banierium adnotationibus (9). Celebres ſunt Burgheſianae Villae Sphinges plures, quarum duae, quae in area aedium poſteriori proſtant, characteribus Aegyptiacis inſtructae ſunt, de quibus agit Turbervillus Needhamius regiae Societatis Londinenſis (10), & ſex aliae, quae virginali vultu expreſſae ſcroto etiam donantur, ut obſervavit Winckelmannius (11), iiſque conſonae ſunt duae aliae Suburbani Albanii. Tandem, ne omnia conſectari velle videamur, duas alias inſuper innuemus, quae in imo aſcenſus ad Capitolium utraque parte conſpiciuntur ex nigro Aegyptio marmore, ex quarum ore aqua emittitur. Effoſſas has fuiſſe ad M. Agrippae Thermas fama eſt, quae dein iuſſu Pii IV. Summi Pontificis ad hunc locum translatae ſunt ex Aedibus Sancti Stephani de Cacco, cui nomen factum a Cynocephalo marmoreo, ſive Oſiride, vulgo Cacco nuncupato, heic olim exſiſtente cum Nilo, Sphingibus, & aliis in Capitolium, alioque adſportatis (12). Signum vero noſtrum nihil peculiare habet, quod adnotatu dignum ſit. Ceterum & aliae Sphingium figurae in ſequentibus Anaglyphis occurrent.

TAB.

(1) *Stromat. V. pag.* 561.
(2) *Tab. LXIV. Fig. I. pag.*86.
(3) *In Aug. Cap. L.*
(4) *Hiſt. Nat. Lib. XXXVII. Cap. I.*
(5) *Hiſt. Lib. LI.*
(6) *Auctore M. A. V. N. Hagae Comitum* 1726. *pag.* 111. *Tab. XXX.*
(7) *Antiq. explic. To. III. Par. II. Tab. CXXX. pag.*315.
(8) *Monumenti antichi inediti Vol. I. num.* 78., *e Vol. II. Par. I. Cap. XXXVII. §. V. pag.* 102.
(9) *La Mitologia del Banier tradotta in Italiano &c. Tom. I. Par. II. Lib. II. Cap. V. not.* (a) *Tav.* 93. *pag.* 413.
(10) *De Inſcript. quadam Aegyptiaca Taurini inventa &c. Romae* 1761. *pag.* 33., 39., *&* 42.
(11) *Loc. cit. pag.* 103.
(12) *Roma ex ethnica ſacra Florav. Martinelli pag.* 309., *&* 401.

TAB. LXIX.
ARIES ARAE IMPOSITUS.


Ictima haec arietina Arae imposita adducta est a Montfauconio [1], cuius descriptionem quinetiam heic addimus, cum accuratiorem hac ipsa neque nos dare nunc posse videamur. *Ara Romana, cui impositus est mactatus Aries, quadrata, supra supernam oram, quae quadrata etiam est, alia visitur ora rotunda, cuius medium concavum, in quo reponitur victimae venter; hinc intestina videntur egredi, unde coniiciatur victimam eo in statu esse, quo Haruspices, & Sacerdotes intestina explorare possent, ut inde futura, vel arcana divinarent.* Aries hic mactatus locum habuit inter cetera animantia, veteri scalpro insculpta, quibus Musei Clementini Vaticani pars non ultima constituitur.

CLASSIS XI.
QUAE CONTINET
TROPHAEA PULVINARIA CAPITULOS BASES TRUNCOS ET CANDELABRA.



TAB. LXX.
TROPHAEUM.


Runcus heic cernitur thorace, clypeis, aliisque militaribus insignibus ornatus, qui Trophaeum dicebatur. Hinc Virgilius [2] ait:

Indutosque iubet truncos hostilibus armis
Ipsos ferre duces.

Scilicet usus invaluerat apud veteres columnae aeneae, lapideae, vel ligneae capta ab hostibus spolia imponere, aut etiam arbori, olivae praesertim, vel quercui; quod postremum innuit Sidonius [3], dum ait:

. . . . . . *quercusque trophaeis*
Curva tremit.

Vi-

(1) *Supplem. Antiq. explic. Tom. II. Lib. III. Cap. I. num. II. pag. 49. Tab. IX. num. I.*

(2) *Aeneid. Lib. XI. ver.* 83.

(3) *Carm. II. pag.* 398.

Vide etiam Virgilium Aeneae trophaeum describentem ex Mezentii ducis exuviis, & ex quercus ramis confectum [1]. De Capitolinis Trophaeis, quae vel Caii Marii, vel Traiani, vel etiam Domitiani reputantur, nonnulla attigimus superiori Volumine [2].

TAB. LXXI.

TROPHAEUM.

MIlitaris sagus, & hasta hoc Trophaeum ornat; atque hisce spoliis truncos, vel columnas insignire commode dicebatur a Graecis, teste Plutarcho [3], κοσμεῖν τρόπαιον, & ἱστάναι τρόπαιον.

TAB. LXXII.

FIG. I. ET II.

PULVINAR.

PUlvinaria quatuor, quae Aedium Matthaeiarum ad Circum Flaminium scalas nunc ornant, ad Curiam Hostiliam reperta fuerunt, teste Francisco Ficoronio [4], Philippo Titio [5], & Rodulphino Venutio [6]. Horum primo stragulum, sive culcita hinc inde interpuncta superposita est. Aere caelatam anteriorem faciem adduxit Montfauconius [7], sed non accurate designatam. Quatuor figurae anaglyptico opere elaboratae in ea apparent, quarum tres alis instructae Genios produnt. Horum unus tympanum pulsare videtur; alter senem nudum, & prolabentem sustentat; tertius tandem senem ipsum manu tenet. Pendet virga, seu funis potius, tribus globulis ornata, queis thyrsi Bacchici ornari solent. Forte sacrum Baccho Pulvinar hoc fuit, & senex heic expressus Silenum exhibere potuit. In altera facie tres insuper Genii occurrunt, quorum unus eamdem virgam, seu funem orbiculis duo-

(1) *Aeneid. Lib. XI. vers. 5.*

(2) *Adnot. ad Tab. LXXII. pag. 70., & seq.*

(3) *In Agesil. pag. 606.*

(4) *Le singolarità di Roma moderna Lib. II. Cap. VII. pag. 63.*

(5) *Descrizione delle Pitture, Sculture, e Architetture esposte al pubblico in Roma, Opera cominciata dall'Abate Filippo Titi da Città di Castello, con l'aggiunta di quanto è stato fatto di nuovo fino all'anno presente. In Roma 1763. nella Stamperia di Marco Pagliarini pag. 86.*

(6) *Descrizione di Roma antica, e moderna Tom. I. pag. ult.*

(7) *Supplem. Antiq. explic. Tom. II. Lib. V. Cap. I. num. 1. Tab. XXIX. pag. 98., & seq.*

duobus diſtinctam habet dextera manu, ſiniſtra vaſculum operculo obtectum ſuſtinet; alter pedum dextera, & larvam ſcenicam barbatam gerit ſiniſtra e conſpectu baſis cuiuſdam, cui caput velatum, vel etiam larva ſuperſtat; ac tertius tandem genu flexus, qui larvam alteram pilis hinc inde horridam ſibi in capite componit. Ad dextrum latus, quod in noſtro ſchemate Fig. I. vix conſpicuum eſt, adeſt alatus Genius, cui tympanum proximum eſt, ad ſiniſtrum vero Fig. II. Genius alter aliger quinetiam tibias inflans deprehenditur. Quid & Bacchici ritus, & ſcenica ſpectacula in hoc Pulvinare ſibi velint, fateor me neſcire. Sunt tamen, qui baſim, vel urnam heic haberi putent, cui ſuperſtet ſtragulum, quo defuncti ſimulacrum coenantis inſtar relinaret, ſi ipſum apponere libuiſſet; quemadmodum cernitur in Sarcophago, qui Alexandri Severi, & Mammeae eius matris vulgo dicitur, quique a Ioh. Petro Bellorio editus eſt (1). Ceterum mortuis quinetiam Pulvinaria tribuebantur, quae, Voſſio teſte (2), ἀρίαι dicebantur ab ἠρεὺς *mortuus*, & ab ἠρίον *monumentum*, ſeu *tumulus*, unde forte etiam Eros, defunctus ſcilicet, qui divinos honores obtinuiſſet (3). Ad animarum ſiquidem expiationes Bacchicos ritus valde opportunos cenſebant veteres, qui facile & ſcenicos ludos, & Pulvinaria, ſive lectiſternia, quibus comiſſationes, & alterius vitae delicias oſtenderent, addere potuerunt. Res Antiquariis notiſſimas levi calamo tractamus.

TAB. LXXIII.

FIG. I.

P U L V I N A R.

PUlvinar alterum, cuius unam tantum faciem adducimus, heic habes. Stragulum ſuperne cernitur, & vaſculum in fronte occurrit floribus oppletum. Latera, ſeu columellae, quibus Pulvinar inniti videtur, eleganti opere elaboratae deprehenduntur. Hoc apud Montfauconium (4) etiam occurrit.

(1) *Theſ. Antiq. Graec. Gronov. Tom. XII. pag.* 68.
(2) *In Etymologico.*
(3) *Vid. Ioh. Bapt. Paſſerium Epiſt. VII. Roncalien. in Tom. XII. prioris Collectaneae Calogerianae Opuſculorum pag.* 450.
(4) *Tomo, & Tabula ſuperius citatis.*

TAB. EADEM.

FIG. II.

P U L V I N A R.



Ertium Pulvinar damus, quod & eodem ſtragulo, & columellis elegantibus diſtinguitur. Eius ectypum habes in Tabula aenea apud Valerium Chimentellium (1), qui ponit apud Matthaeios ad Divae Catherinae; licet aliqua in re a noſtro parumper differat.

TAB. LXXIV.

FIG. I. ET II.

P U L V I N A R.



Ulcita ex Baſalte ornatur poſtremum hoc Pulvinar, quod idcirco praecipue deſignarunt Ficoronius, Titius, & Venutius ſuperius laudati (2). Epigraphem quinetiam in fronte gerit, quae ita ſe habet:

R E S T I T V I T
A P O L L O
N I V S P A L

Hanc retulit Muratorius ex ſchedis Ptolemeis (3). Quiſnam fuerit hic *Apollonius Pal*atinus, qui *reſtituit*, non facile dictu eſt. Forte hoc Pulvinar Deorum fuit, ſed cuinam ſacrum fuerit, ignotum omnino eſt. Symbola, quae id innuant, nulla ſunt. Infra allatam Epigraphem pendet encarpus, & capita arietina ad ſingula latera inſculpta ſunt.

TAB. LXXV.

CAPITULI ET BASIS PARS PRIOR.



Uper triangularem Baſim Capitulum ordinis compoſiti, ut aiunt, heic ſitum eſt, quod vitibus, pampinis, & racemis circumcingitur. Id genus ornamenta ea ſunt, quae Baccho ſacrum illud fuiſſe, aut eius templi columnam aliquam diſtinxiſſe facile oſtendant. Aviculae hinc inde

(1) *Marmor Piſanum de honore Biſelli: Parergon inſeritur de veterum Sellis &c. Cap. XX. col. 2092. Tab. II. num. XLI. ad col. 2206. Tom. VII. Antiq. Romanar. Graevii.*

(2) *Locc. citt. ad Tab. LXXII. Fig. I.*

(3) *Nov. Theſ. veter. Inſcript. pag.* 470. *num.* 10.

de adſtant uvas carpentes. Perſona ore hianti, & barba in canaliculos diſpoſita inſuper cernitur, cui etiam ad labrum ſuperius μύςακες, ſeu pili additi ſunt, ac ipſa tandem frons pampinis cingitur. Capitulum vero ita iacet, ut pomorum caniſtro incubare videatur. Ad Baſis latera arietina capita inſculpta ſunt.

TAB. LXXVI.

CAPITULI ET BASIS PARS ALTERA.

NOn aliter, ac prior conformata eſt & Capituli, & Baſis eiuſdem pars altera, quam heic exhibemus. Aſt notanda ſolum nunc venit in Capitulo ipſo larva altera, in qua florea corona, quae frontem ornat, & capillorum cincinni triplices intorti, qui hinc inde ad aures pendent, conſpiciuntur.

TAB. LXXVII.

FIG. I.

B A S I S.

BAſis quadrilatera heic habetur, quae Bacchicis ritibus inſignitur. Cithariſtria in primis occurrit, quae talari veſte induitur, & breviori amiculo ſuperpoſito, quod ſimul cum altera veſte cingulo ſubligatur. Pone humeros velum accedit, quod veluti vento agitatum ſupra caput ſuſtollitur; brachia vero nuda ſunt. Forte Faunus ſuccedit, qui, perſona villoſa ad pedes proiecta, palliolum manibus retro diſtendens ſaltare videtur. Nec aliter induta cernitur mulier altera, quae tympanum pulſat; niſi illud excipias, ipſam tunica, quae ad femora explicatur, amictam eſſe, quae σχιςὸς χιτῶν, *ſciſſa*, ideſt non aſſuta *tunica* a Polluce [1] appellatur. Hinc feminae ſic indutae φαινομηρίδες, quae femora inter incedendum exerebant, dictae ſunt, ut Venutius ſuperiore Volumine [2] ad Naiadis Simulacrum adnotaverat. Faunus alter hinc adſtat, qui palliolum pone dorſum gerit, & hoc ſubiicit cado, quem vino plenum ſiniſtro humero ſuſtinet. Siniſtro pede ſoccum habet, exſuto altero, quo utebatur pede dextero. Socci quidem agitan-

(1) *Onomaſtic. ad Commodum. Vid. Bayſium de re veſtiaria Cap. XIII. pag.* 34. *a.*

(2) *Tom. I. Tab. LI. pag.* 40.

tandis choraeis apti erant, ut proinde Catullus [1] ita calceatum Hymenaeum, nuptiarum Deum, ad ſaltationem invitet.

Tab. EADEM.
FIG. II.
B A S I S.

Mulier heic conſpicitur, quae talari veſte, & breviori amiculo induitur, utrumque vero veſtimentum cingulo ſubligatur. Hercules dein venit clava armatus dextera, ſiniſtra panniculum gerens. Bacchans nuda, palliolo tantum tecta ad humeros, quod eleganter a ſiniſtro brachio ad crus deſcendit, eique eleganter interiicitur, tympanum pulſat. Faunus tandem ſequitur, qui etiam nudus, praeter palliolum, quod ſiniſtro brachio advolvitur, nebridem ſuſtinere laeva apparet, dum thyrſum gerit dextera.

Tab. LXXVIII.
FIG. I.
B A S I S.

In hac Baſe tres Satyri conſpiciuntur, quorum unus humi ſupinus iacet, alter caprino pede eumdem urget, tertius tandem flagellis prohibere videtur, ne prolapſum, forte ab eo victum, opprimat, neve etiam praepoſtera libidine incurſet. Satyrorum enim laſcivum genus, quam quod aliud.

Tab. EADEM.
FIG. II.
B A S I S.

Lectiſternium heic habes, ubi diſcumbit Vir nudus, & haſta inſignis, qua eius Divinitas innuitur. Adſtat puer, ſive pocillator, qui forte vas aliquod manu ſuſtinet. Menſae phiala, & ferculum appoſitum cernitur. Quare vel Pulvinar Deorum hoc eſt, vel

(1) *Carm. LXI. verſ. 9.*

vel feralis Bafis aliqua, cui defunctorum imagines convivantium more exprimi folebant, ut ita nempe beatas Elyfiorum fedes, & delicias fignificarent.

TAB. LXXIX.

FIG. I.

B A S I S.

SAtyri lafcivientes, & cornigeri heic apparent, quibus adiacet vel Bacchus ipfe iuvenis, vel etiam Libera, cuius nimirum praefentia iidem ad luxuriam excitari videntur. Sacrum Baccho donarium hoc dixerim.

TAB. EADEM.

FIG. II.

B A S I S.

SAcrum Numini Pulvinar hoc cenfeo, cuius utrumque latus Sphinges ornant. His nimirum innuebatur, religionem fanctitate myfteriorum, atque aenigmatum arcanis involutam effe debere. Forte Minervae dicatum fuit, quae prudentia, & fapientia ceteris praeftabat, & cuius galeae Sphingem infidere in Athenienfium Nummis apud Haymium (1) obfervamus, & infuper Minervae Statuam a Phidia effictam, quae in galeae medio Sphinge diftingueretur, Paufanias prodidit (2). Vide, quae de Sphingibus fuperius etiam adnotavimus (3).

TAB. LXXX.

FIG. I.

B A S I S.

BAfis, five Ara rotunda heic cernitur, quae capite bubulo ornatur, a quo pendent utrimque encarpi, & admixtae funt vittae deorfum diffluentes, quae ad rem facrificialem pertinebant.

(1) *Thefaur. Britann. Par. I. Tab. XIII. n.* 15. *pag.* 176.
(2) *Lib. I. pag.* 57.
(3) *Tab. LXIV. Fig. I. pag.* 86., *&* *Tab. LXVIII. Fig. II. pag.* 90.

bant. Arae enim verbenis, tamquam apte pendentibus torquibus, immo & floribus cingi ſolebant. Hinc Ovidius [1]:

Fumida cingatur florentibus ara coronis.

Addebatur vitta lanea, ſive corona ex lana facta, de qua Propertius [2]:

Terque focum circa laneus orbis eat.

Inter encarpos orbiculi roſeos flores aemulantes inſuper conſpiciuntur.

TAB. EADEM.

FIG. II.

B A S I S.

SUccedit altera Baſis, ſed quadrata, in cuius fronte & caput bubulum, & encarpi, & vittae, & cetera huiuſmodi ornamenta inſculpta ſunt. Siniſtro latere, quod conſpicuum eſt, habetur urceolus, dextero patera, quorum in obeundis ſacrificiis ſolemnis olim uſus erat.

TAB. LXXXI.

FIG. I.

B A S I S.

ARa haec (Baſi enim ſynonyma eſt) Baccho ſacra videtur. Sacrificulus plane nudus lancem gerit, in quo tria ova conſpicua ſunt. In expiationibus, ſive luſtrationibus locum ſibi non ultimum ova vindicarunt, quod eſſent antiquae puritatis, puraeque antiquitatis ſymbolum. Hinc Iuvenalis [3]:

. . . . *niſi ſe centum luſtraverit ovis.*

Tum & Ovidius [4]:

Et veniat, quae luſtret anus lectumque, locumque,
Praeferat & tremula ſulphur, & ova manu.

Bacchans dein cernitur, quae, crinibus ſolutis, cymbalum ſuſtinet ſiniſtra, dextera vero haſtam. Habet nunc Baſim hanc Muſeum Vaticanum Clementinum,

TAB.

(1) *Triſt. Lib. III. Eleg. XIII. v.* 15.
(2) *Lib. IV. Eleg. VI. v.* 6.
(3) *Sat. VI. verſ.* 518.
(4) *De Art. amandi Lib. II. verſ.* 329.

Tab. EADEM.

FIG. II.

SACRIFICIUM.

REm ſacram facientes tres heic nunc cernas. Mulier urceolum praefert, ſive ſimpulum, a quo *ſimpulatrices* huiuſmodi feminae audiebant. Succedunt duo viri ſuccinti, & cothurnati, qui pateram geſtant. Forte hoc Anaglypho ferale ſacrificium exprimitur, quod ſale, leguminibus, ovis, ceteriſque exilibus rebus peragebatur, iuxta illud Ovidii (1): *Parva petunt Manes*.

Tab. EADEM.

FIG. III.

CONSUL.

CElla columnis, & vortice inſtructa, cui ſuperne ad latus adſtant Tritones buccinum inflantes, heic deprehenditur. In eius medio ſedet Conſul togatus volumen manu geſtans, ad cuius pedes proſtat Ciſta, ſeu Capſa, in qua libri, & chartae ſervabantur, & de qua alibi diximus (2). Defunctorum imagines Cellis inſculpi ſolemne erat apud veteres. Heic poſtremis hiſce Anaglyphis locum fecimus, caelatoribus, qui ea cum Baſi coniunxerunt, neceſſitatem nobis nunc creantibus.

Tab. LXXXII.

FIG. I.

OPERCULUM URNAE.

TAbulam hanc Baſis, quae poſtremo loco inſculpta eſt, ad hunc locum revocavit. Quare ea, quae praecedunt, innuenda primum ſunt, etſi extra chorum prodire nunc videantur. Habes ergo primum Urnae operculum, quod duabus Sphingibus ad latera diſtinguitur, in fronte vero ornatur corona, quam duo Genii

(1) *Faſtor. Lib. II. verſ. 535.*

(2) *Tom. I. horum Monument. Claſſ. VII. Tab. LXXIII. pag. 72., & ſeq.*

nii alati ſuſtinent, & ex ea pendent vittae. Coronae mortuis tributae, & vittae coronis additae ea ſunt, quae illuſtratione non egeant.

Tab. EADEM.

FIG. II.

PSYCHE AMOREM DETEGENS.

Lecto cubantem adoleſcentem, ſublato linteo, detegit nuda puella, quae ad extremam lecti oram inſidet; atque ad eius pedes puerulus in terram iacens, veluti luſitans, proſtat. Niſi Pſychem comminiſcamur familiari conſuetudine cum Amore utentem, ad turpia, quae ſpontaneam mulierum licentiam, naturali verecundia coercitam, refugiant, confugere opus eſſet, quibus parcere ſatius ſemper fuerit. Lecti fulcra, quae ex ſimulacris variis formabantur, Sphinges heic praeſeferunt, quae forte ſecretas, nocturnaſque conſuetudines exprimant.

Tab. EADEM.

FIG. III.

B A S I S.

ORnat Baſim hanc mulieris Protome, quae intra encarpum a duobus capitibus bubulis, ad latera adſtantibus, pendentem, & vittis revinctum, comprehenditur. Veneris Pulvinar non deeſt, qui cenſeat. Sed cur defunctae mulieri, quae divinos honores demeruerit, tribui etiam non poſſet? Notus eſt M. Antonini Nummus, in quo aquila apotheoſis auſpex ipſi inſidet Pulvinari (1). His adde florea ſerta, & vittas ita urnis, & ſepulcris convenire, ut Virgilius (2) Didonem inducens Sichaei ſepulcrum ornantem, deſcribat ipſum

Velleribus niveis, & feſta fronde revinctum;

ipſeque Ovidius (3) in Epiſtola Didonis ad Aeneam dicat:

Eſt mihi marmorea ſacratus in aede Sichaeus,
Oppoſitae frondes, velleraque alta tegunt.

Ad Baſis latera alii etiam encarpi inſculpti videri poſſunt.

TAB.

(1) *Iacobi Gutheri de Iure Manium Lib. II. Cap. V. Fig. 25. pag.* 211.

(2) *Aeneid. Lib. IV. verſ.* 457.

(3) *Verſ.* 99.

TAB. LXXXIII.

TRUNCUS.

Runcus, cui Statua innitebatur, facile hic esse dignoscitur. Vestes, quae ad nudum Heroem, qui forte simulacro exprimebatur, orbiculo, sive fibula distinctae, etiamnum supersunt. Forte & vagina spathae, quae erat gladii latioris genus, Trunco est quae adhaeret.

TAB. LXXXIV.


CANDELABRUM.

Naglyptico opere Candelabrum heic insculptum est, cui flamma desuper ardet, quodque tripode sustinetur, arietinis capitibus ad latera ornatur, & veluti lemniscis, sive taeniis utrimque procidentibus distinguitur.

CLASSIS XII.

QUAE CONTINET

LARVAS SCENICAS ET CETERA MONUMENTA MISCELLA.



TAB. LXXXV.

FIG. I. II. III. IV. V. ET VI.

LARVAE SCENICAE.

Re ad ingentem oscitantiam composito, simis naribus, & oculis inconcinnis donatur, quae primo loco occurrit, larva scenicis actionibus, quas vir laboris, vel molestiarum pertaesus obiret, prorsus accomodata. Nullam hoc modo compositam inter quamplurimas, quas aere incisas edidit Franciscus Ficoronius, licuit invenire. Succedit Fig. II., qua refertur persona crinibus, superciliis, & bar-

barba confertim inſtructa. Os conchiforme vel aptum erat ad horrorem inſpirandum, qui ex triſti, ac terrifica aliqua narratione conſequeretur, vel etiam ad ludicrum aliquod maiori iocatione condiendum; niſi etiam ita conformatum dixeris, ut vox grandior fieret, & longius inſonaret, quemadmodum in tubis ad extremitatem expanſis uſuvenire etiam patet. Huiuſmodi vero larvae ore conchiformi ſaepius occurrunt apud Ficoronium (1). Fig. III., & IV. larvas muliebres exhibent, quarum prima crines ſuperne compoſitos, & hinc inde retortos, ac deciduos, tum ſub mento invicem recurrentes praeſefert; alia vero crines habet non ineleganter collectos, exiguis cirris dumtaxat prope aures ſolutis. Vultus coloſſales Heroicam perſonam, puta Reginam, vel Viraginem decent. Mulierum perſonas, quae primo deſiderabantur, Phrynicus, & Neophron Sycionius invenere, ut teſtis eſt Suidas (2). Nuſquam mihi videre contigit larvae formam, quae eſt ſub num. V., quaeque σκελετὸν aliquem ad terriculamentum excitandum in ſcenam prodeuntem exprimere potuit; caret enim naſo, carne, & mento, ut cranium, mandibulae, & oſſa cetera (ſi exſtantes oculos excipias) nuda prorſus conſpiciantur. Certe quidem & aliquis iam fato functus, & mors ipſa referri hac perſona potuiſſet. Neque quis obiiciat, huiuſmodi mortis, vel etiam mortuorum imaginem veteribus incognitam fuiſſe, cum apud Winckelmannium (3) habeatur in veteri Gemma factitia Stoſchiana, quam etiam ſuperius (4) retulimus, Philoſophus ſedens, forte Plato, qui volumen legit, & ad pedes ſibi conſtituit cranium defuncti, cui papilio inſidet; qua re forte cogitatio de morte, quae Philoſophis omnibus familiaris ſit oportet, quamque Plato praeſertim ingerebat, non obſcure deſignatur. Tandem, quae poſtremo loco eſt, larva hominem refert ſpiſſis crinibus, ac tum μύςακος, tum menti pilis graviſſimum. Larvae quidem id peculiare habent, ut animi paſſiones praeſeferant, omnia inſuper amplificata repraeſentent, iiſque *ſimilitudo* illa *turpioris*, quam innuit Tullius (5), commode exprimatur. De Larvis praeter Ficoronium vide Ageſilaum Mariſcottium, Eph. Henr. Begerium, Ioh. Bapt. Pacichellium, & Nicolaum Boindenium ex profeſſo tractantes.

TAB.

(1) *Le Maſchere Sceniche, e le figure comiche d' antichi Romani. Vid. praeſertim Cap. XXII. num. I. pag. 76.*

(2) *Vid. ibid. Cap. XXV. pag. 84.*

(3) *Monumenti antichi inediti Vol. I. n. 170., e Vol. II. Par. III. Cap. VII. n. II. pag. 226. e ſeq.*

(4) *Hoc Vol. II. Tab. XXXVIII. Fig. 1. pag. 52.*

(5) *De Orat. Lib. II.*

TAB. LXXXVI.

FIG. I. ET II.

ORNAMENTA MARMOREA.

IN periſtylio Aedium Matthaeiarum ad Circum Flaminium proſtant duo haec ornamenta marmorea, quae forte recentis ſcalpri opus ſunt, quaeque omittere praeſtaſſet, niſi nos Tabulam aeneam, cui inſculpta ſunt, proiicere piguiſſet. Supra baſim adſurgit vas calathi inſtar, quod ex ingentibus foliis coaleſcit, & cui inſidet nux pinea. Ex ea ſalientes aquas prodiiſſe, vel ad id ornamenta haec effecta fuiſſe, non eſt inveriſimile.

TAB. LXXXVII.

FIG. I.

URNAE FRONS.



Rnae frontem heic habes, ubi vacuum quadratum cernitur, in quo inſculpendus fuerat titulus, heredum negligentia praetermiſſus, quodque duae marinae Nymphae, ſuperne virginis, inferne piſcis corpore efformatae utraque manu ſuſtentant. Delphinorum aquis innatantium caudae conſpicuae ſunt, niſi earumdem Nympharum dixeris in Delphinos deſinentium, quibus duo Genii alati, facem altera manu geſtantes, & altera vaſculum ſuper humerum ſuſtinentes inſiſtunt. Forte heic habes Luciferum, & Heſperum, quorum poteſtates principium, & finem caeli, nempe univerſum repraeſentabant, & ex ethnicorum diſciplina Heroum animas ad ſuperos quinetiam elevabant. Duo alii Genii aligeri coronas deferunt, quas mortuis tributas nemo ignorat. Aquae vero, & marina monſtra animarum expiationes innuunt, quas Oceani ablutionibus peragi opinabantur. Hinc Virgilius [1]:

. . . . Aliae panduntur inanes
Suſpenſae ad ventos, aliis ſub gurgite vaſto
Infectum eluitur ſcelus, aut exuritur igni.

TAB.

(1) *Aeneid. Lib. VI. verſ.* 740.

TAB. EADEM.

FIG. II.

URNAE FRONS.

Ltera heic Urnae frons nobis duos Gryphes, & tres phialas obiicit. Commentitia haec animantia tamquam ſepulcrorum cuſtodes Urnis inſculpebantur, quae nimirum ob auritam roſtri aduncitatem ad dilaniandum aptiſſimam a ſepulcrorum violatione homines prohiberent. Habet hos inſculptos quinetiam celebris Sarcophagus Eugubinus, arcana Bacchi myſteria exhibens, quem illuſtravit Cl. Paſſerius Italica Diſſertatione edita Peruſiae (1), & Latina altera Romae recuſa inter Tractatus Praeliminares in *Picturas Etruſcorum in Vaſculis* (2). His adde, Gryphes utpote ad Solis currum iunctos, & Soli ſacros etiam ad Heroum animas ad caelum evehendas quandoque adhibitos occurrere in veterum monumentis. Achillis ſiquidem anima in caelum itura curru vehitur per aera a duobus Gryphis in Etruſci Vaſculi pictura apud laudatum Paſſerium (3); quaſi animantia haec vicem ſui Numinis, cui cura demandata erat Heroum tollendorum ad ſuperos, ſubiverint. Quapropter etiam in Baſi Columnae Antonini, quae Romae viſitur, & in qua Auguſti Apotheoſis exprimitur, adſtant Sol, & Luna curribus vecti, quaſi praecurſores ipſius animae in caelum progredientis. Phialae vero, quae lacrimatoria vaſcula vulgo audiunt, opobalſama, vel libationes, quibus defuncti honorabantur, olim continebant.

TAB. EADEM.

FIG. III.

PASTOR ET VILLICI.

Eic vides Paſtorem ſcopulo inſidentem, cui canis cuſtos gregis adblanditur. Porca cum ſue eius nato, & boves duo hinc paſcunt, arboreſque duae foliis, & ramis detonſae, quae nimirum putationis, ſive veris tempus deſignent, aſſurgunt. Sequitur plauſtrum,

(1) *Spiegazione delle Scolture d' un antico marmoreo Sarcofago, che ſi conſerva in Gubbio &c. In Perugia* 1773. *Cap. VII. pag.* 41.

(2) *De Marmoreo Sarcophago Eugubino &c. Cap. VI. Tom. II. pag. XLVII., & ſeq. Tom. III. cit. Pictur.*

(3) *Pictur. Etruſcor. in Vaſculis Tom. III. Tab. CCLXXIII. pag.* 59., & 60.

ſtrum, quod duo boves trahunt, Villico praecedente cum pedo, altero virga aliquid in plauſtro poſitum tentante, & pedum forte etiam gerente.

Tab. LXXXVIII.

FIG. I.

HECTOR ET ANDROMACHE.



Ides in hoc Anaglypho Virum lorica caput armatum, & a dextro humero ad ſiniſtrum faſcia inſtructum, ex qua enſis pendet. Hic alloquitur mulierem tunica indutam, & eidem intentam. Graecum Virum, quod nudus ſit, facile heic haberi cenſui, ac proinde Hectorem coniieci cum Andromache colloquentem. Caret heic uxor & famula, & tenello filio Scamandrio, ſive Aſtyanacte, quemadmodum obviam veniſſe viro fingitur ab Homero (1). Barba Hector donatur, ut in ΙΛΙΕΩΝ *Ilienſium* Nummis apud Seguinium (2); quamquam & ea careat in alio Nummo apud Haymium (3).

Tab. EADEM.

FIG. II.

B A C C H U S.



Acemus, & pampini, quibus diſtinguitur a dextera capitis parte, & capilli non ineleganter compti, quibus donatur hoc Anaglypho expreſſus Iuvenis, facile nobis Bacchum obiecerunt. Sceptrum habet, illudque forte eidem attributum fuit, quod, Indis ſubactis, totoque Oriente victoriis peragrato, triumphos denique, regiumque diadema etiam invenerit. Pallio floſculi vel intexti, vel adſperſi conſpiciuntur, quod Bacchus floribus maxime delectaretur. Hinc ἄνθιος, hoc eſt *floridus* appellatus eſt, atque hoc etiam nomine cultus, ut refert Pauſanias (4). Tum ἱερὸν ἄνθος *ſacer flos* vocatur ab Orpheo in Lyſii Lenaei Hymno, & *florens Iacchus* dicitur a Catullo (5). Celebris eſt veſtis ἀνθινὴ *florida*, ſive verſicolor, mulierum propria (6), quae Baccho

(1) *Iliad. VI. verſ.* 395.
(2) *Numm. ſelect. pag.* 330. *edit. ſecund.*
(3) *Theſ. Britann. Par. II. Tab. VII. n.* 8. *pag.* 80.
(4) *In Atticis.*
(5) *In Nuptiis Pel., & Thetid.*
(6) *Plutarch. Quaeſt. Graec.* 57., *& Artemid, Lib. II. cap.* 3. *Vid. & Venutium in Tomo I. horum Monument. Tab. XLVII. pag.* 37., *& ſeq.*

cho muliebri cultu ſaepiſſime ornato convenientiſſima eſt, quaeque a viris etiam aliquando uſurpata, maxime in pompa, & triumpho (1). Immo teſtis eſt luculentiſſimus Clemens Alexandrinus (2), qui Bacchi myſteria pleniſſime noverat, veſtes floribus conſperſas in illis celebrandis adhibitas fuiſſe: Αἱ δὲ τοῖς ἄνθεσιν ἐοικυῖαι ἐσθῆτες, βακχικοῖς, καὶ τελευςικοῖς καταληπτέαι λήροις. *Veſtes autem, quae ſunt floribus ſimiles, Bacchicis nugis, & initiorum myſteriis relinquendae ſunt.*

TAB. LXXXIX.

FIG. I.

URNAE SEPULCRALIS PARS ANTERIOR.

IN hac Sarcophagi parte anteriore cernitur Vir forte Conſularis, ut facile prodit toga, & volumen, quo diſtinguitur. Adſtant eidem duo Genii, quorum unus manu, & pede mutilus eſt. Pendet inferne encarpus; quod ornamenti genus & ſupra, & deinceps etiam ſaepius occurrere in monumentis ſepulcralibus quilibet animadvertet.

TAB. EADEM.

FIG. II.

CAPITA INCOGNITA.

TRia capita integra heic habes; quartum mutilum tantum apparet. Horum duo iunioris aevi barba carent, tertium ſenioris aetatis ea donatur. Singuli uno, eodemque obtutu ad rem aliquam intenti videntur, ac ſinguli quinetiam pileum capite gerunt. Nauticus, ſive orientalis hic apparet, qualem tribuunt Ulyſſi (3), qui nimirum tanta maria errans traiecerat. Tamquam incerta haec capita proponimus, quae nulla explicatione illuſtrari poſſunt; quod ut nimirum comprobaret Winckelmannius, quaſi non obvia eſſent monumenta obſcura, & inextricabilia, tria pariter incognita capita adduxit (4).

TAB.

(1) *Vid. Dionem Lib. LIX.*

(2) *Paedagog. Lib. II. cap. 10.*

(3) *Monumet. antichi inediti Vol. I. num. 153., & Tom. II. Vol. II. Par. II. Cap. XXXIII. pag. 208.*

(4) *ibid. Vol. I. num. 162., & Vol. II. Par. II. Cap. XXXIV. pag. 217.*

TAB. XC.

LUCERNA.

N Lucerna haec, quae aenea videtur, & cuius ectypon inter cetera Matthaeiana Monumenta ad nos pervenit, apud nostros Iovii Duces exstet, aut umquam exstiterit, ignoramus. Eam tamen aere caelatam adduxit Michael Angelus Causeius [1], qui ex schedis se accepisse refert. Quare ab ipso etiam eiusdem explanationem nunc mutuabimur, quae ita se habet: „ Πάνα, seu Universi „ naturam ex elementis constantem exhibet elegans haec Lucerna pen- „ silis, & bilychnis. Diversae fuerunt priscorum opiniones circa nume- „ rum elementorum, de quibus egimus Sect. 3. Tab. 17., alii tria, „ alii quatuor constituerunt: priori sententiae conveniunt Pan, Leo, „ & Equus, in hac Lucerna expressi. Panem eumdem cum Sole dicit „ Macrobius Sat. Lib. I. cap. II., cui astipulatur Bocaccius. *Cornua ei* „ *apponebantur ad significandos radios Solis, & Lunae, ceterarumque stel-* „ *larum* [2]; *facies vero vero rubicunda, & inflammata ignem aethereum.* „ Per Leonem Cybeli dicatum Terra significatur. Vide Sect. I. num. 35. „ Neptunus a Graecis Ἵππιος, a Latinis *Equestris*, & *Consus* dictus, Equo „ indicatur, & Aquam denotat. Superest Aer, si quatuor admittenda „ sunt elementa iuxta communiorem opinionem, qui Delphino designatur: „ ille enim utpote libidinosum animal, amorisque concupiscibilis sym- „ bolum Veneri dicatus est, eiusque statuis vulgo apponitur, teste Va- „ leriano, testeque celebri huius Deae statua, quae Romae olim, nunc „ Florentiae in pretiosissima Gaza Medicea asservatur. Aer autem iuxta „ Macrobium loco citato Sphaera est Veneris. „ Sed si Causeius duabus Lunulis falcatis ibidem expressis infra barbam Panis, quibus adiacent Delphini, animum, & oculos intendisset, facile Aerem iisdem indicatum agnovisset, atque Delphinos Neptuni, & Aquae symbolum censuisset. Equos vero potuisset Soli, vel etiam Dianae, quae eadem, ac Luna, (utrique enim ipsi sacri erant) facile tribuere; Quandoquidem Hippopotami, sive marini Equi, Delphinis iam semel adscitis, Neptuno iure tantum convenissent. Multas alias Lucernas consulere licet ibidem,

(1) *Romanum Museum Tom. II. Sect. V. Tab. XVIII. pag. 64.*

(2) *De Panis cornibus nonnulla & nos superius adnotavimus hoc Volum. Class. VII. Tab. XLVII. Fig. II. pag. 65.*

dem, & apud Montfauconium (1), & praesertim apud Cl. Passerium, qui earum vim ingentem exhibuit (2). Fortunius Licetus autem hanc provinciam prolixe, & pro dignitate tractavit. Tandem nonnullorum Figulinorum, Lucernarum Opificum nomina per Alphabeticum ordinem dispofita habes apud Iohannem Smetium (3), & alia insuper apud Fabrettium (4).

(1) *Antiq. explic. Tom. V. Par. II. Lib. II. Cap. I. ad Cap. XII. pag. 202. ad 234. Tab. CXXXIX. ad CCIV.*

(2) *Lucernae Fictiles. Vol. III. Pisauri apud Gavellium.*

(3) *Antiquit. Neomagen. pag. 104.*

(4) *Inscript. Cap. VII. pag. 496., & seqq.*

FINIS VOLUMINIS II.

ABSOLVTVM . EST . VOLVMEN . II. VETERVM . MONVMENTORVM
QVAE . SVNT . IN . AEDIBVS . ET. HORTIS . CAELIMONTANIS . MATTHAEIORVM
ROMAE . IN . TYPOGRAPHIO . ZEMPELIANO . APVD . MONTEM . IORDANVM
PRIDIE . KAL. OCTOBRIS . ANNI . IVBILAEI . CIϽIϽCCLXXV
AC . I. PONTIFICATVS . SSMI . D. N. PAPAE

P I I . S E X T I

QVI . MVLTIS . ANNIS . VIVAT . FLOREAT . IMPERET

Class. I. Fig. I Tab. I.



IVPPITER PLVVIVS

Fig. II Tab. I.



IVPPITER SERAPIS

Filipo Morghen f.



Fig I Tab. II.
APOLLO
Filipo Morghen f.


Fig. II.
Tab. II.
BACCHVS



M. Jorellò Scul.

BACCHVS


Fig. I.
Tab IV.
IVNO


Fig. II.
Tab. IV.
IVNO

Fig I. Tab. V



IVNO

Fig. II. *Tab. V.*




Fig.I. Tab.VI.
MINERVA
CVM
CAPITE
BACCHANTIS


Fig II.
Tab. VI.
SILENVS

Clas. II. Tab. VII.



Carl. Baro. Inci. ALEXANDER MAG. REX MACEDONVM




Fig. I *Tab. VIII*



Fig. II. Tab. VIII.

Tab. IX.

Fig. I.



CAPVT INCOGNITVM

Fig. II.



CAPVT INCOGNITVM

Fig. III.



CAPVT INCOGNITVM

Fig. IV.




HOMERVS



M. TVLLIVS. CICERO.

Tab XI



M. TVLLIVS. CICERO.

M. Sorellò Sculp.

Fig I Tab XII.




Fig II Tab. XII.



Class. III. Fig. I. Tab. XIII.



Fig. II. Tab. XIII.



Aex Giard Sc.


Fig I.
Tab XIV
M. SALVIVS OTH
M. Sorello sculp


Fig II.
Tab. XIV
FL. VESPASIAN
M. Sorello sculp.



Fig. I Tab. XV.




Fig. II. Tab. XV.

N. Mogalli s.

Tab. XXV.

Fig. I.




Fig. II.



N.M f

Fig. I *Tab. XVII.*



AEL. HADRIANVS

Fig. II *Tab. XVII*



AEL. HADRIANVS


Fig I
Tab XVIII
AEL HADRIANVS


Fig II
Tab XVIII
AEL HADRIANVS


Fig I
Tab XIX
ANTINOVS
N. Mogalli S


Fig. II
Tab. XIX.
ANTONINVS PIVS

Fig. I *Tab XX*




Fig II *Tab XX.*




Fig I.
Tab XXI
Alos Giard sculp
ANTONINVS PIVS


Fig. II.
Tab XXI.
M. AVR. ANTONINVS





M.Sorelli Sculp

Fig. I. Tab. XXIII.



M. AVR. ANTONINVS

Alexius Guardoni Sculp.

Fig. II Tab. XXIII



ANNIA
FAUSTINA


Fig. I. Tab. XXIV.
LVCIVS VERVS
N. M. f.


Fig. II. Tab. XXIV.
LVCIVS VERVS



Fig I. Tab XXV



Fig II. Tab XXV


Fig. I.
Tab XXVI
L. AVR. COMMODV


Fig II.
Tab. XXVI.
PVB.HEL. PERTINA





M. Sorello Scul


Fig. I.
Tab XXVIII
SEPT. SEVERVS


Fig. II.
Tab. XXVIII.
SEPT. SEVERVS





M. Sorello sul.


Fig.I. Tab.XXX
SEPT SEVERVS
N. Mogalli Sculp.


Fig.II. Tab XXX.
M.AVR BASSIAN
M. Sorello Scul

Fig. I. Tab. XXXI



Fig. II. Tab. XXXI



Class. IV. Fig. I. Tab. XXXII.



Fig. II.



M. Sovellò Scul.


Fig I
Tab XXXIII
RVDVLPHVS II.


Fig II
Tab XXXIII
FERDINANDVS III.



CAPITA INCOGNITA VVLGO ARIA ET POETVS SIVE PORTIA ET BRVTVS



Tab XXXV.

Fig I.




Fig II



M. Sorello Sc.


Fig. I
Tab XXXVI.
INCOGNITVS


Fig II.
Tab XXXVI
INCOGNITVS


Fig I Tab XXXVII.
MVLIER INCOGNIT


Fig II Tab.XXXVII.
MVLIER INCOGNI

M. Sorello

Class. I. Tab. XXXVIII

Fig. I.






Fig. II.



Tab.XL.






Fig. I.





Fig. II.



Tab XLII

Fig. I.





Fig. II.





Tab. XLIII

Fig. I.





Fig. II.



Tab. XLIV.

Fig. I.





Fig. II.



Tab.XLV.

Fig.I.




Fig.II.




Fig.I.





Fig.II.



Clas. VII. Tab. XXVII.

Fig. I.



AMOR.

Fig. II.



PAN.

Fig. III.



BACCHVS

Fig. IV.



HERCVLES

Fig.I Ta.XLVIII.



DIANA TRIFORMIS

Fig.II Tab.XLVIII



Filippus Morghen Scul

CAPVT MEDVSAE





CERES

Fig I. *Tab* L.



Fig. II



Fig. III



TERRA

Tab. LI.

Fig. I.



GANYMEDES


Fig. II.



MARS

Marco Carloni incis.

Fig. I



SOLON

Fig. II




CAPVT INCOGNITVM

Fig. III



CAPVT INCOGNITVM

Fig. I



AVGVSTVS

Fig. II




LIVIA

Fig. III



TRAIANVS

Fig. IV



VOLVSIANVS

Tab. LIV.

Fig. I.



FL. HERACLIVS IMP.

Fig. II.



CONSTANS II. IMP.

Fig. III.



FL. HERACLIVS CONSTANTINVS POGONATVS ET IVSTINIANVS. II.

Fig. IV.



LEO III. IMP. ET MARIA EIVS VXOR.

M. Sorellò Sc.

Fig.I



VVLTVS.INCERTI

Fig.II



Fig.III



VVLTVS INCERTI

Fig. I



VVLTVS INCERTI

Fig. II



VVLTVS INCERTI

Fig. III



VVLTVS INCERTI

Fig. I



VVLTVS INCERTI

Fig. II




VVLTVS INCERTI

Fig. III



VVLTVS INCERTI

Fig. I



VVLTVS INCERTI

Fig. II



VVLTVS INCERTI

Fig. III



VVLTVS INCERTI

Fig. IV



VVLTVS INCERTI

Tab. LIX

Fig. I



VVLTVS INCERTI

Fig. II



VVLTVS INCERTI



MERCVRIVS



MINERVA MEDICA

Fig I Tab LXII



VENVS MARINA

Fig II. Tab LXII



VENVS MARINA

Filippo Morghen f.



LVNVS

Fig. I.

Tab. LXIV.



POLYHYMNIA

Fig. II.




MVLIER DEFVNCTA

Fig.I Tab.LXV.



GENIVS

Fig.II.



GENIVS

Tab LXVI



CONSVL

Tab. LXXXI

Fig. I



Fig II



BASIS

Fig. III



Tab LXXXII

Fig. I



OPERCVLVM VRNAE

Fig. II




PSYCHE AMOREM DETEGENS

Fig. III



BASIS

Marco Carloni incise


Tab. LXXXIII
TRVNCVS
Carlo Baroni sculp.

Tab LXXXIV



CANDELABRVM

Carlo Baroni Inci.

Fig. I




Fig. II




Fig. III



Fig. IV




Fig. V




Fig. VI



LARVAE SCENICAE

Tab. LXXXVI

Fig. I



Fig. II



ORNAMENTA MARMOREA

Fig. I




Fig. II




Fig. III



Carlo Baroni fecit

Tab LXXXVIII

Fig. I




HECTOR.ET.ANDROMACHE

Fig. II



BACCHVS

Marianna Tonatis sculp.



VRNAE SEPVLCRALIS PARS ANTERIOR




CAPITA INCOGNITA

N. Mogalli Scul.



LVCERNA

Tab. LXVII




PHILOSOPHVS

Clas.X. *Fig.I.* *Tab.LXVIII.*




Fig.II.




SPHINX.

Tab. LXIX.



Carlo Baroni inci ARIES. ARAE. IMPOSITVS.



TROPHAEVM

Tab. LXXI



TROPHAEVM

Fig I Tab LXXII



Fig II.



PVLVINAR

Fran^us Mazzoni Sculp. Romæ.

Tab. LXXIII

Fig. I





Fig. II




PVLVINARIA

Tab LXXIV.

Fig. I.



Fig. II.



PVLVINAR

Ioan Cassini



CAPITVLI. ET BASIS. PARS PRIOR.



CAPITVLI. ET. BASIS PARS. ALTERA

Fig. I.







Fig. II.





BASES





BASES

Tab LXXIX

Fig I





Fig II.



BASES

Fig. I

Tab LXXX




Fig. II



BASES

